MEMORIA
OTHONIS
EPISCOPI BAMBERGENSIS
POMERANORUM APOSTOLI.

POMERANIAE

CHRISTIANAM FIDEM PROFITENTIS

SACRIS SAECULARIBUS SEPTIMIS

MENSE IUNIO ANNI P. C. N. CIƆIƆCCCXXIV

PIE CELEBRANDIS

PRAEMISIT

ANDR. CASP. FRIDERICUS BUSCH

TYCHOPOLI - HOLSATUS

PHILOS. D. SOC. LAT. IEN. SOD.

IENAE

IN LIBRARIA SCHMIDIANA

CIƆIƆCCCXXIV.

MEMORIA

OTHONIS

EPISCOPI BAMBERGENSIS

POMERANORUM APOSTOLI.

POMERANIAE

CHRISTIANAM FIDEM PROFITENTIS

SACRIS SAECULARIBUS SEPTIMIS

MENSE IUNIO ANNI P. C. N. CIↃIↃCCCXXIV

PIE CELEBRANDIS

PRAEMISIT

ANDR. CASP. FRIDERICUS BUSCH

TYCHOPOLI - HOLSATUS

PHILOS. D. SOC. LAT. IEN. SOD.

IENAE

IN LIBRARIA SCHMIDIANA

CIↃIↃCCCXXIV.

Ἡ δόξα αὐτοῦ οὐκ ἐξαλειφθήσεται. Τὸ σῶμα ἐν εἰρήνῃ ἐτάφη, καὶ τὸ ὄνομα ζῇ εἰς γενέας.

Σοφια Σειραχ 44, 13. 14.

VIRO EGREGIO

PAULO CHRISTIANO BUSCH

AUGUSTISSIMI DANIAE REGIS A CONSILIIS CIVITATIS
SUMMI HOLSATIAE ET LAUENBURGI DUCATUUM
QUOD TYCHOPOLI FLORET IUDICII CONSILIARIO
LUDI LITTERARUM TYCHOPOLITANI
SCHOLARCHAE REL.

PATRI SUO CARISSIMO

PRIMO ET INDEFESSO PER LONGUM TEMPUS
STUDIORUM SUORUM MODERATORI INNUMERIS MODIS
OPTIME DE SE MERITO

ACCEPTUM REFERENS

HOCCE OPUSCULUM

SACRUM ESSE VOLUIT

FILIUS.

Quamquam, quod omnium minime filium latere potuit, auguſtae Themidis militiam tanta, cariſſime pater, et tam mira ſollertia exerces, ut, ſi, Tua veſtigia premens, in huius tutelaris Tuae Deae caſtra iuraſſem, optimo iure, meas in forenſi arte primitias Tibi vindicaſſes, ſecus tamen caeteri, quibus ipſe nondum innotuiſti, votiva hac tabula perlecta, quam longe hoc ſcriptionis genus a Tua arte abhorreat reputantes, et ſuo quodam iure, exiſtimare poterunt. Sciant igitur, neminem Te magis gnarum eſſe, quid ſibi velit celebre illud dictum, omnes artes commune quoddam inter ſe vinculum habere, Te neminem intentiorem omnium illorum ſtudiorum cultorem, quae, ut uſitatiſſimo M. Tullii praeconio utar, adoleſcentiam agunt, ſenectutem oblectant,

ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium praebent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, ruſticantur. Quorum in numero haud ſcio an nullum litterarum genus rectius ſit reponendum, quam ipſa illa doctrina, cui et hic libellus materiem debet, et ego vitam et ſtudia mea dicavi, hiſtoriam dico eccleſiaſticam. Sed ne ipſi in noſtra arte laudanda multi videamur, unum et alterum e maxima eius cultorum corona, pro nobis loquentem, introducere liceat. Quorum alter [1]) fulcrum illam appellat noſtrae de ſacris bibliis et omni revelata doctrina perſuaſionis, immo magiſtram, non verbis ſolum, ſed ipſis factis, remotiſſi-

1) *Burkhard, Geſchichte der Methodiſten u. ſ. w.* in praef.

ma ex antiquitate depromptis, docentem, quam ſit ſtabile verbum Dei, quam ſincera Ieſu Chriſti, ſervatoris noſtri optimi maximi, cum hiſtoria, tum doctrina, quam ipſi Deo cordi, quae ille ad propagandam eam per terras et tempora omnia praeclare fecerit, denique quanta hic benignitate ſemper ſua ſtudia ad promovenda per filium inſtituta conferat. Quae quum ita ſint, nonne etiam hiſtoriae eccleſiaſticae ſcriptoribus merito tribuendum eſt idem nomen, quod omnibus omnino hiſtoricis indidit Siculus ille Diodorus, numinis eos appellans miniſtros? Alter autem, quem ipſi carum praeceptorem veneramur, nullo non grati pectoris cultu obſervandum, in noviſſimo libro [2]), amplioribus hanc ſuam

2) *Neanders Denkwürdigkeiten aus der Geſchichte*

artem laudibus prosecutus est, quam quibus repetendis hic locus sufficiat. Et sat graves videor attulisse caussas, cur Tuo, dilectissime pater, venerando nomini hasce pagellas inscripserim. Tu autem, qua es erga filium benevolentia, in munusculo hoc Tibi collato animi potius pietatem, quam ipsius muneris tenuitatem respicies.

Scribebam Sedini, ipsis calendis Sept. a. s. cIↃIↃCCCXXIII.

---

des Christenthums und des christl. Lebens. 1. *Bd.* Berl. 1823. in praef.

PRAEFATIO.

Quem Tibi librum proponimus, lector, non ille a dotibus ſcriptoris commendationem quaerit, ſed a virtutibus eius, de quo ſcriptus eſt, qui tam fortis Chriſti miles exſtitit, ut omnium, qui hoc nomine heroes inclaruerunt, facile princeps putandus ſit. Etenim Otho Bambergenſis profecto digniſſimus erat, cuius memoria, inſtantibus iam Chriſtianae Pomeraniae ſacris ſaecularibus ſeptimis, aliqua ſcriptione renovaretur:

praeſertim quum quae prioribus ſaeculis de eo ſcripta prodierunt, ex parte eiusmodi ſint, ut almam lucem evangelicam, quae noſtrae potiſſimum aetati reddita videtur, non ab omnibus fabellarum ſordibus intactam ſervarint. Accedit, quod, qui chronicorum mos eſt, in externa viri rerumque eius forma depingenda id plerumque operis conſumſerunt, quod in deſcribendo apoſtolico viro ſoli internae, quae longe potior habenda, debetur. Quare imprimis hoc nobis cordi fuit, ut, — quantum in tam vetuſtis rebus, neque fontibus materiem, tali propoſito aptam, ſat benigne ſuppeditantibus, fieri licuit, — eas praecipue apoſtoli res ſuccincte colligeremus, e quibus illa, tamquam ex vultu animus hominis, maxime eluceret. Sic ſperamus fore, ut illos, qui-

bus ſolis impulſus, apoſtolus Herculeum ſuum, Deo adiutore, ſuscepit et perfecit laborem, ſanctos ſtimulos, ſincerum dicimus et flagrantem Chriſti ſervatoris amorem, odioſa ἀλλοτριῶν mole liberatum, magis aperiamus.

Praeterea, — ut de illis taceam, quae, cum aliis libris hiſtorico-eccleſiaſticis, tum maioribus Sanctorum vitarum collectionibus, aditu difficillimis, inſertae reperiantur, — ad hoc tempus ſeorſim typis excuſae aliquot de rebus Othonis ſcriptiones tum rarae factae, tum fere eius, quoad formam et volumen, ſunt indolis, ut paucorum tantum uſibus inſervire poſſint. Quarum inſtar, ut in noſtro quoque fine perſequendo latina lingua uteremur, iuſtae ſuaſerunt rationes, quas ſingulas recenſere, huius neque loci, neque temporis eſt.

Caeterum, ut nos, gente non Pomerani, tamen huic labori noſtram qualemcumque operam impenderemus, praeterquam quod apoſtolorum vitis intuendis ſemper mirum quantum delectati ſumus, id maxime permovit, quod nuper aliquot menſes in Pomerania degimus, ubi quos adivimus doctos viros, bibliothecas ſuas, hiſtoriae potiſſimum praeſidiis affluentes, maxima nobis liberalitate aperuerunt. Quos inter ill. dominum ab Oſten, in villa, qua Plathae, Pomeraniae ulterioris oppido, gaudet, Tuſculano quodam otio fruentem, et cel. Kochium, auguſtiſſimi regis Boruſſiae a conſiliis ſcholaſticis, lycei et gymnaſii Sedinenſium unitorum directorem meritiſſimum, non ſine magna animi voluptate nominamus. Quibus, ut reliquis, qui per totam nos

Pomeraniam tantis cumularunt immeriti amoris documentis, pusillam hanc scriptionem, tamquam exiguum grati animi monumentum, imprimis volumus probari.

Quod reliquum est, si quid vel in materia, vel in forma peccavimus, etsi virorum, nobis doctiorum, castigationes lubenter et non sine multa gratiarum actione subituri, in universum tamen lectorum veniam rogamus, quum et inter scribendum tum morbo, tum multis negotiis distracti fuerimus, et, per longum tempus longius a prelo remoti, imprimendi curam ipsi ex parte tantum sustinere potuerimus, denique purum atque illibatum scribendi genus in talibus medii aevi stribliginibus occupato difficillimum sit servare. Praeter chronicorum scriptores, ecclesiae quo-

que patrum unum et alterum, ſaepius autem Sacra Biblia laudari oportuit, quorum ſcribendi ratio, etiamſi optimam illorum verſionem evolvas, quantum a latinis ſcriptoribus discrepet, nemo ignorat.

Scribeb. Berolini idibus Novembr. anni S. cIↄIↄcccxxIII et Ienae VI. Idus Mart. cIↄIↄcccxxIV.

CONSPECTUS LIBRI.

I.

PROLEGOMENA

IDEAM EXHIBENTIA APOSTOLI AD SANCTAE SCRIPTURAE REGULAM PAUCIS EXPRESSAM.

— — οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι, οὐδ' ὀνομήνω,
οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.
Φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δέ μοι ἦτορ ἐνείη.

Ἰλιαδ. Β. 488.

Luculenter Augustinus [1]) humanum genus, aurea illa catena, qua cum Deo, auctore suo, coniunctum fuit, funesto in paradiso lapsu discissa, grandi cuidam aegroto comparat, per totum terrarum orbem decumbenti. Qui Augustini grandis aegrotus haud inepte illius de Ossa et Pelio fabulae admonet, ex qua, quum Titanum et Gigantum genus scelesto impetu Olympum evertere voluisset, altissimos montes summus Deorum pater et hominum in vesanos illos devolvit. Cui fabulae, ut pluribus antiquitatis figmentis, gravior sententia subest, quam quis, primo intuitu, arbitretur, et ea quidem sententia, ex qua primaevae religionis prima vestigia, apud omnes omnium temporum populos, licet perversa, tamen servata elucent. [2]) Nam veterum poetarum gigantes

---

1) In sermon. in Luc. ev.

2) *Creuzers Symbolik u. Mythologie d. alten Völker.* 2. *Ausg.* 1819. in praef. vol. I. p. XI. infr. *Meinen Hauptsatz aber halte ich in seiner ganzen Ausdehnung fest. Es ist die Grundlehre von einer anfänglichen reinen Er-*

et Augustini illum grandem aegrotum unam eamdemque efficere personam, quae diversa forma et imagine miseros nos adumbret, qui, divina lege contempta, ut, tamquam αὐτοκράτορες, Deo evadamus similiores, ipsi novam nobis condituri, a summo numine in hanc nostram detrusi sumus miseriam, quis neget, qui semel apertis semet ipsum oculis intuitus est? — Nisi si quis fuerit, qui tristem peccatorum nostrorum farraginem, licet revera profundissimo mari comparanda sit, Ossa et Pelio pondere minorem existimet. Quem quidem miserum hominem στεναγμοὶ illi ἀλάλητοι 3), ex plus millibus concussis animis, ubivis terrarum, in dies ad superos missi, fortius refellent, quam tenuis haec mea oratio.

Verum enim vero, si ex una parte dementibus illis similiores facti sumus, quam nunc quidem vellemus, dum summum numen e caelo, in quod irrupturi eramus, dira nos execratione, ad tempus omnino expulit, ex altera

---

kenntnifs u. Verehrung Eines Gottes, zu welcher Religion sich alle nachherigen wie die gebrochenen und verblafsten Lichtstrahlen zu dem vollen Lichtquell der Sonne verhalten. Et pluries in libro. Cf. *Tholuck über das Wesen des Heidenth. in Neanders Denkw.* Vol. I. Berlin 1823. pag. 2. *Heinroths Lehrbuch der Anthropologie.* Leipzig 1822, pag. 339 sqq.

3) Ad Rom. 8, 26.

parte nobis gloriari licet. Nam quum, teste antiquitate, Enceladus gigas sub Aetnae pondere in aeternum gemiscit, Augustino contra idem, quod modo laudavimus, dictum sic concludere licebat: *descendit omnipotens medicus ad sanandum grandem aegrotum.* — Et, quiqui simus, laetum de Deo illo medico nuncium audientes, si tales, qui, ad hoc tempus, nondum omnipotentem medicum ad nos invitaverimus, quum nemo nostrum, tamquam cum corpore membra, non ab aliqua tandem parte cum grandi illo aegroto cohaereat, surgere licet, immo quidem oportet, et vadere illum arcessitum, qui iam fere bis mille annos, ipse et per legatos, cum ineffabili, tam pietate, quam patientia, difficillimo aegroto medetur. Pretioso, quem in tristi ligno effudit, sanguine fomentum nobis paravit, quod vel miserrime decumbentes, si, Iudaeorum instar, aeneum illum serpentem intuentium 4), illi soli confidamus, in aeternum sanare poterit. O profundas divitias tum sapientiae, tum amoris Dei! Cuius perfidi summam indignationem movimus, nobis amicissimum acerrime pungentes, idem ille sanctissimus, ipse humanam formam induens, de caelo descendit, ut gigantem sanet, qui, dum ipsum regno exuere audebat, irrito conatu, misere humi prostratus, nullum

4) Num. 21, 9. cf. Joh. 3, 14. 15.

usquam remedium invenit, quo tantus sublevaretur dolor. Qui, si non hic, fortis est, ut mors amor, qui, si non hic, durus, ut sepulchrum, zelus! Prunae eius prunae sunt ignis flammaeque divinae. Aquae multae non possent exstinguere hunc amorem, ne flumina quidem inundarent eum; si quis daret totam domum suam pro hoc amore, plane contemneretur 5)! —

Neque in supera, unde descenderat, redux regna caelestem medendi artem secum penitus abstulit. Quemlibet e contrario discipulorum fidissimum, in hac quoque, sui imitatorem constituens: *vadite, inquit, doctum omnes gentes eosque baptizate in nomen patris et filii et spiritus sancti, docentes eos exequi quaecunque vobis praecepi. Ego vobis adfuturus sum perpetuo, usque ad finem saeculi* 6). Qua postrema salutatione, tenerrimam in miseros homines eamdemque propensissimam voluntatem spirante, tot magno suo nosocomio medicos designavit, quot, per saecula, sacerdotali genti, cuius ipse antistes est, adscribi gloriaturi essent. —

---

5) Cantic. 7, 10. 11.

6) Matth. 28, 19. In s. scripturae locis laudandis, prout quisque nobis scriptoris sensum sincerius vel elegantius reddidisse visus est, nunc Bezae, nunc Castalionis nunc cel. Schottii versionibus, usi sumus.

Omnes igitur nos, qui illam, de qua Amoſus propheta conqueſtus eſt 7), Joſephi labem, ſalutari propterea aegritudine affecti, in nobismet ipſis noverimus, in ſuo quisque loco medicos nos conſtitutos putare debemus, caeteris quoque plagam, cuius Adamus pater haeredes nos reliquit, indigetare iuſſos. Nam quum haud facile quemquam inveneris, qui, acri corporis morbo laborans, medicum de illo celare geſtiat, ſecus tamen haec miſerrima animorum peſtis ſe habet. Triſte eſt dictu, quanta aegros caecitas teneat, ut vulnus, tamquam in fatali cum Deo ſuo pugna victores exſtiterint, minime lethale et honorificum adeo exiſtimantes, hominum oculis ovantes obtrudere, quam, quum foediſſimum ſit, pudore ſuffuſi, ſanari malint. Plerique vel integros ſe proelio evaſiſſe gloriantur, quique vulnus putredini iam obnoxium, luce clarius, oſtendant, mente captos eſſe clamant. Sunt quoque, iique plurimi, qui nullum umquam tale proelium commiſſum, ſtupenda ſane tam imprudentia quam impudentia inlecti, enixe contendant 8).

---

7) Amos 6, 6.

8) Verum autem totum ego eram et adverſum me impietas mea me diviſerat: et id erat peccatum inſanabilius, quo me peccatorem non eſſe arbitrabar; et exſecrabilis iniquitas, te, Deus omnipotens, te in me ad perniciem meam, quam me a te ad ſalutem malle ſuperari. Auguſt. conſ. V, 10.

Prius quam igitur, nomine Chrifti, legatione fungamur et, velut Deo eos rogante per nos, oremus Chrifti nomine: reconciliamini Deo! quatenus hac reconciliatione indigeant, docendi funt. Davidi, ante quam fupplex illud fuum: peccavi Jehovae! edere atque fuavi prophetae nuncio: Jehova abstulit peccatum tuum, non es moriturus! mulceri poffet, eiusdem Nathanis audienda erat accufatio: *tu* vir es, mortis reus 9)!

Tales igitur nos quoque mortis viros aliquando fuiffe, reliquos, qui nondum effe defiverunt, eius rei convicturi, *in nobis noviffe*, prae caeteris, debemus. Quae quidem fatis iufta conditio, fi omnibus fubeunda fit, ad gigantem humi proftratum fublevandum manum admoventibus, fcilicet, ut medici exiftant experientia inftructi, ad eos tamen fingulari quodam modo pertinet, qui hanc paradifiaci lapfus medelam unicum fibi omnium laborum et totius vitae finem propofuerunt. Nam tam ardua res eft, ut vel Paulus timore et tremore multo eam attigerit *), homo, exclamante Chryfoftomo [10]), in tertium caelum raptus atque arcanis

---

9) 2. Sam. 12, 1. *) 1. ad Cor. 2, 3.

10) Περι ἱεροσυν. 3, 7. ἄνθρωπος εις τρίτον ἁρπαγεὶς οὐρανὸν, καὶ ἀποῤῥήτων κοινωνήσας θεῷ, καὶ τοσούτους ὑπομείνας θανάτους, ὅσας μετὰ τὸ πιστεῦσαι ἔζησεν ἡμέρας.

Dei admotus, totque perpeſſus mortes, quot dies poſt ſuſceptam fidem vixerat! Prae caeteris ideo vos, quorum noviſſima haec proſpera lux ſancta agmina, tam ad Aethiopes Indosque, ſole aduſtos, quam ad ultimam Thulen, frigore rigentem, atque ad Abrahami prolem, Dei olim delicias, nunc miſere ubivis terrarum disperſas, vel profectos vidit vel morae impatientes, ut vela ventis dentur flagitantes, vos rogo, optimi iuvenes, ne, primo quondam amore abacto, ad Herculeum, quem ſuscepiſtis, laborem perficiendum, animo et viribus deficiatis; Phocenſe mecum illud delubrum inviſite, cuius, quod in fronte gerit, epigramma, peculiari quodam iure veſtro, veſtrum nuncupare debetis. Nae, ſanctior quaedam manus, quam quae fallacem illum Pythii tripodem intus conſtituit, duas hasce voces, licet dictu et auditu puſillas, tamen pro vertice habendas, in quo omne apoſtolicae vitae caelum vertatur, marmori, quod templi frontem ornaret, incidit. Scilicet, ut miſeri, illic malorum opem quaerentes, prius quam intrarent, ſemet ipſos introſpicerent et, ineffabili ſua corruptione funditus tandem perſpecta, aliam firmiorem medelam impetrarent, quam quae a miſero illo Apolline expectanda eſſet. Et fuit iam tum, dulci illo in paradiſo de mulieris ſemine, quod ſerpenti aliquando caput contritu-

rum ſit, vaticinio lato [11]), quodammodo thronus ille gratiae [12]) conſtitutus, ad quem, qui ſincero animo, ſperans, accedat, ut miſericordiam conſequatur et gratiam inveniat ad opportunum auxilium, ipſa hac ſpe ſanari iam poſſit, — Ieſus Chriſtus heri et hodie idem et in ſaecula!

Sed iam, id quod propoſitum erat, omnibus numeris abſolutum apoſtoli exemplar paucis adumbrare accingimur, inclytum illud Γνῶθι σεαυτόν tamquam fontem ponentes, de quo omnes, quibus animus vere apoſtolicus irrigandus ſit, rivi deducantur. Quod quidem negotium, Deo iuvante ter optimo maximo, ſic inſtituemus, ut, prout compoſiti ſumus ex animo et corpore et res cunctae ſtudiaque omnia noſtra corporis alia, alia animi naturam ſequuntur, ita primum de aurea illa regula, quatenus ad animum, tum ad corpus applicanda ſit, diſſeramus. Sed de corpore

---

11) Gen. 3, 15.

12) Ad Hebr. 4, 16. cf. *Heinroth Lehrbuch der Anthropologie.* pag. 327: *Daſſelbe Waſſer des Lebens, das den Geiſt der Apoſtel tränkte und noch heute jeden Durſtigen erquickt, rann ſchon in kleiner, aber klarer Quelle den erſten Menſchen entgegen.* — Pretioſus doctiſſimi medici liber, qui, cum caduco corpore, animos quoque immortales, per ſummum, quem candidiſſime veneratur, medicum Chriſtum, recte curandos ſummopere geſtit.

perpauca tantum et fere nulla nobis dicenda videntur, quum animus vere recens natus, cui, ſanctiori et quod plerisque, quos dicunt, poëtis Chriſtianis non ſat cordi eſſe videtur, longe penitiori modo, quam de Phoebo, ſibi incumbenti, iactat poeta, Chriſtus incubuit, et corporis terrenam materiem ſecum quaſi coelo inducit, ut vere, de quo Paulus loquitur, ſpiritus ſancti fiat templum. Nam ut flammam fumus, ſurſum corpus animum hoc ſenſu ſequatur neceſſe eſt. Denique, ne quis nos, in aedificio conſtruendo, biblicis fundamentis uſos addubitet, corollarii loco, quomodo ipſe Paulus hanc noſtram qualemcunque ideam in apoſtolatu expreſſerit, quantum fieri poterit, ipſiſſimis eius verbis, breviter declarabimus [13].

Quum iis potiſſimum haec ad optimi Othonis vitam prolegomena ſcribamus, quos, divino evangelium praedicandi impetu correptos, eum, quem praedicaturi ſunt, Chriſtum ſalvatorem, noſſe oporteat, quumque qui Chriſtum norint, ſibi ipſis plane ignoti eſſe non poſſint, quod is demum, qui ſe, detectis oculis, peccatorem invenerit, in Chriſti, peccatoribus

---

13) In hac quaeſtione noſtra, de externo, quem dicunt formalem, apoſtoli cultu, ſcilicet quaenam litterae addiſcendae ſint rel. nullam nos mentionem iniicere, qui forte miretur, eum admonitum volumus nos hoc agere, ut animi tantum indolem, quae mere interna eſt, informemus.

ſanctificandis mortui, cognitionem pervenire poſſit, ratio fere nulla adducenda eſt, quae noſtro, ut nosmet ipſos, prius quam alios doceamus, recte cognoverimus, axiomati clariorem aliquam lucem affundat. Certe, ſi quae alia, haec ſententia axiomatis loco habenda eſt, quod nulla omnino argumentatione probari debet. Tam et propria multorum experientia, et biblicis dictis, tamquam fortiſſimo vallo munita, impiorum telis inconcuſſum pectus obvertit. Chriſtum dico, — iam, ne qui falſe intelligant, ſententiam reſcribere liceat, — tamquam ſalvatorem, proprie ſic dictum, eum omnino noſſe non poſſe, qui ſibi ipſi ignotus ſit, quum nulla nobis eius, qui ab nulla ad nos parte pertineat, cognoſcendi cupido eſſe poſſit. Iam illud huc cadit, quod in proverbium vertimus: ignoti nulla cupido. At qui ſe peccatores nondum agnoverint Chriſto, peccatorum ablatore, nullo egere, vel potius ſe illo non egere falſo ſibi perſuaſum habere, oportet.

Quae quum ita ſint, duae ſolummodo res ſunt, apoſtolo ſcitu neceſſariae: *qualis ipſe ſit qualisque Chriſtus.* Quarum, ſecundum ea, quae iam attulimus, poſterior priori ſic quaſi involuta eſt, ut proprie duae unam efficiant ſcientiam neceſſe ſit. Unde, quam noſtro iure illud *Γνῶθι σεαυτόν* ſolum poſuerimus apoſtolicae vitae verticem, facile apparebit.

Verum tantum abeſt, ut, tamquam caete-

rae pleraeque, et haec ſcientia mere theoretica ſit, ut, e contrario, unice in agendo verſetur. Discesſit ab oculis, Auguſtinus monet[14]), ut redeamus ad cor *et inveniamus* eum, idemque[15]) viam, ducentem ad beatificam patriam non tantum cernendam eſſe, ſed *et habitandam* affirmat. Quae quum negari nequeant, nemo certe, graviſſimi illius praecepti memor: ſancti eſtote, nam ego ſanctus ſum[16])! ſi, non infucato ſemet ipſum zelo introſpiciens, ſe a Deo ſuo ſanctiſſimo eodemque iuſtiſſimo, qui idem ſumma veritas eſt, quam diu et mirum quantum aberraſſe expertus fuerit, dum, denſiſſima nocte circumfuſus, ſine lampade, huc illuc vagetur, iam rectam ſe ingredi viam putabit. Nam occaecati ſunt lapſorum oculi, ne ipſis adfulgeat lumen evangelii, in quo ſplendor Chriſti eſt conſpicuus, qui Dei refert imaginem. Ablatum igitur hoc lumen et obtectam hanc imaginem, quibus demum repertis et late per ea hianti vulnere noſtro, greſſum praepediente, obligato, cum ſucceſſu ad ſuperos iter emetiendum erit, omni virium contentione inveſtigabit. Sed mox Siſyphicum laborem ſemet ſolum nullo modo perfecturum expertus et diſceſſum quaeret itineris ducem. Tum verſo et reverſo

---

14) Confeſſ. 4, 12.
15) Confeſſ. 7, 20.
16) 1. Petr. 1, 16.

in tergum et in latera et in ventrem dura erunt omnia et Deus ſolus requies [17]) et inquietum erit cor eius, donec requiescat in Deo [18]). Quae quidem, licet alias omne id genus fugiendum ſit, ipſa iam inquies vere ſalutaris habenda eſt, et miſer, miſerum ſe iudicans, ideo beatus praedicandus. Geſtit enim Chriſtus, concuſſis animis atque de ſe deſperantibus maxime propitius eumque ad finem de caelo demiſſus, ut in viam reducat, qui aberraverint, ſuo ſibi ſanguine in aeternum redemptos, et iam ad ſe redeuntibus, ſi modo ſincere illum ducem ſibi quaerant, ipſe viam monſtrans, noctu pro lampade eſſe. Sic in primo iam quaerendi momento opem inops invenit, disceſſum reperit, ipſum Chriſtum habet prope adſtantem. Eſt autem hic ille modus, ſola ſpiritus ſancti ope addiſcendus, quo gigas humi proſtratus, dum contrito pectore preces fundit, digitum ſurſum porrigere doceatur, ut Chriſtus totam eius manum arripiat, qua lapſum in altum trahat ad ſe et hominem collocet ſuper angelos, ſedulo in mirandas has altiſſimi Dei cum hominibus res introſpicere geſtientes [19]).

Tali homines et tam magnificae conditioni

17) Auguſt. conf. VI, 16.
18) ibid. I, 1.
19) 1. Petr. 1, 12.

restituendos iam vestrum est curare, qui, re et factis primigenios Christi apostolos sequentes, illorum quoque decoramini honorificentissimo nomine[20]). Eadem igitur, quae illis, methodus, fusius modo explicata, et vobis adhibenda erit, ut miseros, huc illuc et ubivis in vasto huius mundi deserto errantes, in viam restituatis viatores. *Per se*, i. e. recta sui ipsius cognitione, et quam debiles sint sine illo, *ad Christum et per illum in caelum.* — Ista sola, qua, in itinere demonstrando, utatur, apostolo quasi geographica mappa erit aestimanda. Quae quidem itineris mansiones quam homini conducant, si ipsi in vobis experti fueritis, fieri non potest, quin aliis, summa animi intentione, probatas commendetis. Gentem convenientes, mortis umbra offusam, postquam ipsi qui sint docti fuerint et quam pessima lue deformes et qui esse debeant, neque ullum esse qui integros sistat, praeter unum, unum hunc hominibus praedicabitis Christum, eumdemque cruci adfixum. Cuius nomine de iustitia testantes, de continentia et iudicio olim futuro, illo quasi ante oculos iis depicto, aliud nullum funda-

20) Ipsi, quod nostris temporibus, iis, qui apud exteros apostolatu fungantur adscribi solet, nomini (*Missionare*) eamdem, quae verbo „apostolo", et vim et originem esse, neminem fugerit.

mentum ponere gestietis, quam quod positum est a mundi principiis, — Iesum Christum.

Quem tamen minime exaltatum tradendum esse, sed qualem ipse unice salutiferum nobis se praebuit, nostri caussa humiliatum, ipsa iam res docet. „In inferioribus aedificavit sibi humilem domum de limo nostro, per quam subdendos deprimeret a se ipsis, et ad se traiiceret, sanans tumorem, et nutriens amorem, ne fiducia sui progrederentur longius, sed potius infirmarentur, videntes ante pedes suos infirmam divinitatem ex participatione tunicae pelliceae nostrae, et lassi prosternerentur in eam, illa autem surgens levaret eos [21].“

Cuius sane mirandae et ineffabilis humilitatis, qui dignus et cum fructu praeco esse velit, eumdem eius et imitatorem esse debere, non opus erit admonitu. Iam ex allatis id consequitur. Verus apostolus rectam retinens animi egestatem nulla hominibus dabit, nisi a Deo accepta. Tamquam vas quoddam sibi habendus est, soli Deo sacrum. Quod, quo magis omni alia, quam qua ipse Deus impleverit, careat re, eo purius illique acceptius censendum erit. Summopere autem, ne ipsi quid infundere conemur, cavendum. Nam fons, de quo, tale quid cupientibus miseris nobis, solo haurire liceret, ipsum malignum esset cor nostrum. Aliam

21) August. conf. VII, 18.

proh dolor! nullam, qua ipsi nos ad alios docendos imbueremus, in nobis materiem gerimus. Est autem cor, non solum lapsi hominis, immo et recens nati, in quo, dum in terris vivamus, cum novo semper vetus Adamus de principatu contendant, voragini comparandum, omni malorum genere abundanti. A Deo igitur, sanctissimo fonte, quae aliis divinarum rerum impertiamus, sancta expetamus necesse erit.

Et sunt quidem preces, quibus solis illa nobis contingant. Quas Iacobaeae illi scalae [22]) non absone quis compararit, e terra in caelum surgenti, angelis, a Deo emissis, ut orantium vota curent, sursum et deorsum tendentibus, nullo non tempore frequentatae. Nam, sicut, dum infima scalae pars in terra posita esset, summa caelum attingeret, ita terram cum caelo iungunt preces. Eaedem manum movent, mundum moventem, quippe qui Dei aurem invenerit idem manus tenebit.

Quam igitur, si caeteris omnibus, sic iis potissimum, qui apostolatu fungantur, commendandae sunt preces! Nonne vel ipsum Christum, θεάνθρωπον, in suo apostolatu, saepius preces fudisse audivimus? Quid igitur cunctabimur huius, et in precando, vestigia premere? Quod quam, ne dicam operae pre-

22) Gen. 28, 12.

tium, ſed neceſſarium ſit officium, inde facile apparebit, quod non ſe tantum et ſuam ſalutem curanda habeant apoſtoli, ſed millium et non ita pauci ſunt, qui decies centenorum millium. Quorum omnium aliquando animas ab illis iuſtus iudex repoſcet. Moles ſane, labantibus incumbens humeris, cui illud, quod Atlas ſustinuit, caeli pondus nullo modo comparandum. Iam et apoſtolorum cervici caelum ſustentandum impoſitum eſt, ſed quale caelum et quantum! Ipſam enim curam caeleſti huic moli comparare auſim, ut, per ſe inſtructis, catechumenis ſuis aliquando cum caelitibus beata vita contingat. Sat profecto rationis, ut ſummi numinis obvoluti genibus, ſubmiſſis precibus eius auxilium implorent, quod non ludibrio promiſerit ſe nobis adfuturum eſſe perpetuo atque ad finem ſaeculi. Nam ſine eo, ipſo teſtante 23), nil praeſtare valemus.

Sed iam redimus, unde digreſſi ſumus, reliquas apoſtoli virtutes adumbraturi. Sunt autem tres illae primariae veri Chriſtiani, fides, amor et ſpes, quarum ſummus eſt amor, omnes caeteras complectentes. Quem quidem, ſi dicere liceat, praeclarum triumviratum, haud male quidam triplicem, qui totam ſinceri Chriſtiani ſemper perſonet vitam, muſicum concentum nuncuparit. Ipſius recens creatae animae,

---

23) Joh. 15, 5.

Christo nuptae, tamquam utere natae, sanctam sibi sobolem procreant: primum, nobilem illum sui contemptum, quo quis, dum ipsum Dei filium, incarnatione sua, fratrem sibi factum glorietur, mirabile dictu, tamen omnium se haberi novissimum gestiat, dumque longe, per incolentem sibi Christum, super omnes evectus sit, omnium servum. Talis vere generosus et magnanimus vir, ne vitae quidem parcens, quo caeteris vitam lucretur, quinimmo pro fratribus, si fieri liceat, cum Paulo [24]), vel ab aeterna vita excommunicatum iri, laturus, ipsam in amittendo vitam inveniet. Mors, ubi iam aculeus, et inferi, ubi victoria vestra! — Ex illo sanctissimi sponsi cum sanctificata anima connubio porro gignuntur: patientia, lenitas, aequitas et, cum sancta quadam et imperturbabili hilaritate, simplicitas. Qui sanctissimum maiores, quam vox ulla exprimere possit, pro indigno se, cruciatus sustinuisse norit, is certe in quorumvis, vel atrocissimorum malorum colluvione et in dirissimae ipsius mortis discrimine, Christi sui respectu habito, ista omnia nihili aestimans, gratus ovabit. Cui tanta condonata sint, quanta vel cogitando assequi impossibile, is profecto omnibus condonabit omnia, solis adversum Christum iniuriis exceptis. Qui tanta in dies denuo a se commis-

24) Ad Rom, 9, 3, Cf. mantissa pag. 151.

ſis iuſtiſſimum clementia indulgere ſciat, is demum in aliis nil moleſte feret. Qui per Chriſtum, ſemper eum comitantem, placatum ſibi ſummum numen propitium ſentiat, eum, ſi vel fractus illabatur orbis, hilarem impavidumque ferient ruinae, nam Chriſto duce nil triſte*). Denique quem ſummus ipſe Deus tantis praevenientis gratiae bonis accumulans, indignum ſibi amicum elegerit, is iam nihil prius habebit, quam ut, neque retrorſum oculos vertens, neque ad latus, verbis factisque ſoli illi Deo, amico ſuo, totus adhaereat. Quem igitur, oculis non amplius incurrentem, fides invenit, Deum et hominem Chriſtum, eumdem amor fovebit, retinebit ſpes. Illam dicimus ſpem, quae Paulum gloriantem effecit: quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi iuſtitiae corona, quam reddet mihi Dominus in illo die, iuſtus iudex; non ſolum autem mihi, ſed omnibus, qui expetiverint illuſtrem illum ipſius adventum [25])! —

Quibus ſi reliquas duas addideris, ſapientiam et vigilantiam, iam, quoad animum, perfectum habebis apoſtoli exemplar. Sapientiam dico, qua quis ductus, in docendo moneudoque, ſuo quaeque loco et tempore afferat, licet, in univerſum, ipſa monente Scriptura, Chriſtum tradere nullo tempore intempeſtivum pu-

---

*) Sat nota Schwenckfeldi teſſera. —

25) 2 ad Tim. 4, 8.

tandum ſit[26]). Vigil denique apoſtolus, nullo non tempore illius de mali angeli, rugientis leonis inſtar oberrantis, dicti[27]) recordatus, ſemper et ſe cuſtodem putabit a ſummo Deo in muris Hieroſolymarum poſitum, toto die et tota nocte iugiter non taciturum nec dormiturum, ut commemoret Iehovam, nec permittat ſilentium eſſe de illo, donec ſtabiliat et disponat urbis laudem in terra.

Reſtat, ut de corpore exponamus, quale apoſtoli eſſe debeat. Quod quidem, ut iam monuimus, nulla, vel breviſſima disputatione indigebit. Nam omnino fieri non poteſt, quin talis, qualis, ſui ipſius Chriſtique gnarus, recens natus animus eſt, prope divinus, incola domum quoque ſuam, ſive natura fragilis et deformis ſit, ſive turpi hucusque vitae obnoxia, ſenſim venuſtatis quadam ſpecie ornet, omnibus, quae alias tamquam munditiae deliciaeque nuncupantur, longe potiori. Nonne pretioſum aliquod unguentum ſuos etiam cum vaſe, illud continente, odores communicabit? Et plus ſane, quam vas ad unguentum, ad humanum animum corpus pertinet. Nam dum illud, unguento abſumto, foras abiicitur, corpus e contrario, paulisper tantum, tamquam divinum aliquod ſemen, terris absconditum,

26) 2 ad Tim. 4, 2.
27) 1. Petr. 5, 8.

ſicuti animus quondam recens natum, cum illo in aeternum manebit. Quod, quum aeterni honoris particeps ſit, quanta idcirco cura fovere debeamus, in promptu eſt. Quae tamen ſumma cura ſingulari quodam modo in apoſtolum cadit, ut non ſolum iuſte colat decoretque externo cultu, tanto incolae talique ſpei congruo, ſed ſummo quoque ſtudio et omni continentiae genere conſervet dignum ſpiritus ſancti domicilium et magni, quod Deus ſalvator ſuus ei impoſuit, ſanctiſſimi operis inſtrumentum. Quod iis praecipue dictum volumus, qui in exteris terris, minime plerumque ſalubribus, tot cumulati laboribus, ſanctius iam corpori proſpiciendi ſibi iniunctum habeant officium. Sed in hac quoque cura videndum, ut omnipotenti et ſanctorum corporis medico Chriſto toti confidamus, neque a nobis plus iuſto expectemus. Haec hactenus.

Caeterum quae hucusque qualiacunque disputavimus, licet peculiari modo in apoſtolos cadant, proprie ſic dictos, aeque tamen, non ſolum ad quemvis verbi divini miniſtrum ſed ad omnes potius et ſingulos vere Chriſtianos pertinere, nemo erit, qui neget. Omnes nos, ſanguine ſuo a peccatis immunes, ſummus ille pontifex reges et ſacerdotes Deo dicavit patri ſuo[28]), ut ſummo noſtro iure ſacer-

28) Apoc. 1, 6.

dotes Iehovae dicamur iidemque Dei miniſtri[29]). Cuius primi Chriſtiani et ſane graviſſimae rei memores nullo idcirco magis, quam hoc ipſo ſacerdotum nomine appellari gaviſi ſunt[30]). Quibus ſi huius noſtri temporis Chriſtianos, tam laicos, quam clericos, quales ſe eſſe iactent et in univerſum qui ſint comparemus — — — — — — . Sed piget iam talis tam acerbae comparationis. Propter contritionem filiae populi mei conteror; ſordidatus incedo, ſtupor corripit me. An opobalſami nihil eſt in Gileade? an medicus nullus eſt ibi? Cur tandem non canvaluit filia populi mei[31])! Iam „ſurgunt indocti et caelum rapiunt; et nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce ubi volutamus in carne et ſanguine[32])!"

Verum linquamus, iam ad laetiora feſtinantes, parcos illos Deorum cultores et infrequentes, inſanientes dum ſapientiae conſulti errant, ut retrorſum aliquando vela dare atque iterare curſus cogantur relictos[33]) ſummopere precantes. Vos contra, qui iſta, quae de vera apoſtoli indole iam, quantum locus conceſſit, fortaſſe pauciora attulimus, pio vobiscum animo omnia volveritis, licet ardua res ſit,

29) Jeſ. 61, 6.

30) *Neanders Denkwürd.* Vol. 1. p. 58. 179.

31) Jerem. 8, 21. 22.

32) Auguſtini confeſſ. VIII, 8.

33) Horat. carm. I, 34. 1—5.

neque in votis ſolummodo, ſed in ipſis factis poſita, Deum adiutorem ſuſpicientes, confidenter ad eam aggredimini. Eadem profecto donabimini corona, quae, ne dicam Frumentio, Palladio, Patricio, Severino, Goaro, Columbano, Gallo, Eligio, Emmerano, Kiliano, Willebrodo, Bonifacio, Ebboni, Ansgario, Vicelino, Othoni noſtro Bambergenſi, Braynerdo, Ellioto, Ziegenbalgio, Egedo, Wesleyo et Whitefieldo, Zinzendorfio et Spangenbergio, Schwarzio, Martyno, Millio et Ringeltaubio 34) — quanta teſtium nubes! — et qui, per ſaecula, ſinguli ſanctiſſimam ſui memoriam reliquerunt, ſed ipſi quoque Paulo, inacceſſo horum omnium exemplari, ſpecioſior nulla contigit! — Quorum aemuli, ſi lachrymantes ſemen ſparſeritis, ovantes cum illis metetis. Quique exquiſitum portantes ſemen omnes dies veſtros fleveritis, iidem, cum illis, redibitis reportantes manipulos veſtros 35)!

Sed quum ad Paulum pervenerimus, in

34) Quorum, quae recentiora ſaecula nomina tulerunt, cum rebus geſtis, maximam partem, in ephemeridibus Halenſibus, Baſileenſibus et Berolinenſibus, ſub variis titulis uni omnibus apoſtolicae rei celebrandae dicatis, invenies. — De martyrum corona, quam egregius *Ringeltaube*, Sedinenſis, ante aliquod tempus, in Cafferorum terris, ut veriſimile eſt, tulit, ephemerides Knappianae Halenſes nuperrime nuncium attulerunt.

35) Pſ. 126, 5. 6.

illo iam quaeſtionis noſtrae finis ponendus erit. Hoc tantum lectores monitos cupimus, nobis, quum prolegomenorum terminos iam aliquantum transgreſſi ſimus, non niſi ſumma rerum capita attingenda eſſe. Unde, non ſingula a nobis disputari, ſed in univerſum potius omnia Pauli exemplo et ipſiſſimis eius verbis confirmari poſſe, facile apparebit. Accedit, quod notiſſimae res ſunt, de die de nocte, etiam atque etiam, animo volvendae!

Idem ille magnus et mirandus Tarſenſis, licet ſanctorum ſanguine maderet, ſplendida illa viſione, quae ſquamas, ut ſe ipſum aſpiceret qualis eſſet, de oculis ei detraheret[36]), ab ipſo Domino apoſtolus electus, infimae, qualem ipſe ſe deſcribit, conditionis homo, tamquam morti addictus, quippe qui mundo, angelis hominibusque ſpectaculum praeberet, famem ſitimque tolerans, male veſtitus, graviter vexatus, ubique oberrans et manuum opera victum ſibi quaerens, maledicentibus bene precans, perſecutiones perferens, conviciis laceſſentes hortans et rogans, dumque plus quam caeteri omnes laborabat, pro purgamento et terrarum orbis piaculo habitus[37]), recte quidem et expertus teſtis, quum ad Galatas ſcriberet[38]), evangelium a ſe traditum non eſſe hu-

36) Act. 9, 18.—22, 3 ſqq.

37) 1 ad Cor. 4, 9—13. 38) 1, 11.

manae originis asseverare potuit, eodemque modo Corinthiis[39]), a Domino se accepisse, quod illis traderet. Nam omnia illa, sane pergravia, alio loco[40]), non ipse sua vi sustinuisse testatur, sed per omnipotentem Christum, sibi incolentem. Idem omnia damnosa existimabat, propter eximiam Iesu Christi, Domini sui, cognitionem, cuius caussa omnium rerum fecit iacturam easque retrimentorum loco habuit, quo Christum lucretur eidemque totus sit addictus. Christum solum accuratius cognoscere gestivit et qualem vim habeat eius in vitam reditus. Idem calamitatum eius consortium experiri voluit, dum morti eius similis redderetur, si forte reditum in vitam consequeretur, Quod non ita acceptum voluit, quasi iam palmam acceperit et cursum perfecerit, sed elaboravit, ut prehenderet, quandoquidem ipse a Christo erat prehensus. Ego, inquit, fratres, non videor mihi accepisse praemium; unum hoc dico, me, oblitum eorum, quae a tergo sint, ad ea enitentem, quae sint ante me posita, ad metam ferri cursu festinabundo, quo palmam consequar, ad quam Deus caelitus per Iesum Christum me provocavit[41]). — De se hactenus.

---

39) 1 ad Cor. 11, 23.

40) 1 ad Cor. 15, 9.

41) Ad Philipp. 3, 8. sqq.

De incredibili autem humani generis pravitate non artificiofe quidem, ne doctrina de Chrifto, cruci adfixo, pro ludibrio haberetur, in aeternum pereuntibus infipida, nobis autem, qui beati reddimur, vis divina, fed incultis verbis, haec fere tradidit: nos, per unius hominis inobedientiam, omnes factos effe peccatores [42]), rebus perverfiffimis indulgentes, terribili animi caligine offufos, a vita, Deo probata, propter divinae legis inobedientiam animumque obduratum, totum alienos, honefti fenfu depofito, libidini deditos, ut quaevis flagitia patremus [43]). Non effe, — alio dein loco Pfalmi XIV verbis conqueritur, — qui probe agat, ne unum quidem, non effe qui fapiat, neque qui Deum pie colat; omnes aberraffe a recta via et putridos redditos effe, neque effe, qui bene agat, ne unum quidem [44])! —

Tali autem pefti, tam late patenti, illud fuum praeclarum acclamitans: expergifcere, qui dormis, e mortuis furge, ita Chriftus tibi adfulgebit [45])! nullum certo aliud remedium adhibere geftiebat, quam *unum fatagens*, Chriftum, *eumdemque cruci adfixum*. Cui quidem exclamationi quantum abfit, ut reliquis fuis

---

42) Ad Rom. 5, 19. 43) Ad Eph. 4, 17. 18.
44) Ad Rom. 4, 10. fqq.
45) Ad Eph. 5. 14.

dictis oppugnarit, e plurimis unum solummodo hoc exemplo sit, quod in altera ad Corinthios epistola legitur, sane praeclarissimum[46]. Si quis nomen dedit Christo, homo evadit recens creatus; antiquis praeteritis, en! nova omnia exstiterunt. Quae quidem omnia a Deo sunt, qui per Iesum Christum nos sibi reconciliavit, *nobisque provinciam demandavit huius reconciliationis annunciandae. Etenim, qui peccati expers fuit, eum pro nobis ut peccatorem tractavit, quo nos per eum sibi probati redderemur.*

Quod evangelium, *solum* recte sic dictum, qui tanta animi corporisque contentione traderet, ut dies noctesque, cum multo fletu*), pro suorum salute, precibus vacans, defagitatus iam vita decedere cuperet et cum Christo versari, quippe quod multum praestaret[47], ei demum, summo suo iure, de ipsis calamitatibus, ob Christi caussam sibi inflictis, gloriandum erat. Idem egregium illud suum, sanctissimae confidentiae plenum: me imitemini, vociferans, quemadmodum ipse Christum, quum os ad Corinthios aperiret animumque iis suum explicaret, summam simul perfecti apostoli ideam exhibens, de se confirmare potuit[48]: ab omni parte me Dei

---

46) 5, 17. sqq. *) Act. 20, 19.

47) Ad Philipp. 1, 23.

48) 2 ad Cor. 6, 3. sqq.

ministrum exhibeo, ita ut mala, calamitates, angustias, verbera, vincula, exilia, labores, vigilias, ieiunia constantissime perferam, et castitate gaudeam, scientia, patientia, benignitate, spiritu sancto, amore non simulato, institutionis veritate, adiumento divino; instructus probitatis armis ad dextram et sinistram, sive honore, sive ignominia, sive infamia, sive laude afficiar; pro fraudatore habitus, quum veritati studeam, pro obscuro, quum illustris sim, pro mortuo, quum vivam, pro castigato, quum nondum subierim supplicium, pro tristi, quum semper hilaris sim, pro paupere, quum multos locupletem, pro homine omnibus destituto, quum omnia possideam. — —

Iam, ubi talis de se locutus est, nobis silendum erit. Accedit, quod tempus ad propositum accingi monet, quo optimum Othonem, qualis apostolus exstiterit, declaremus, Illud tantum summopere precamur, ut, qui plus de Paulo sibi dici cupiant, Chrysostomum 49) adeant, facundiorem nobis laudatorem. Caeterum, si cui Pomeranorum apostolus minus ad unguem perfectum exemplar visus fuerit, is, illum non Paulum fuisse et quo tempore vixerit, reputet, rogamus. Tali, satis aequo, respectu habito, et noster σκεῦος praedicandus

---

49) Chrysostomi de S. Paulo homiliae.

erit ἐκλογῆς, τοῦ βαστάσαι τὸ ὄνομά κυρίου ἐνώπιον ἐθνῶν καὶ βασιλέων. Ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, τοῦ ἐπιστρέψαι ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ σατανᾶ ἐπὶ τὸν θεὸν, τοῦ λαβεῖν αὐτοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, πίστει τῇ εἰς κύριον (Act. 9, 15. 26, 18.) Διαιρέσεις δὲ χαρισμάτων εἰσὶ, τὸ δὲ αὐτὸ πνεῦμα. Καὶ διαιρέσεις διακονιῶν εἰσι, καὶ ὁ αὐτὸς κύριος. Καὶ διαιρέσεις ἐνεργημάτων εἰσὶν, ὁ δὲ αὐτὸς θεὸς, ὁ ἐνεργῶν τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. (1 ad Cor. 12, 4—6.)

II.

VITAE OTHONIS

POMERANORUM APOSTOLI

SUCCINCTA DESCRIPTIO.

Dan. 12, 3.

וְהַמַּשְׂכִּילִים יַזְהִירוּ כְּזֹהַר הָרָקִיעַ וּמַצְדִּיקֵי הָרַבִּים
כַּכּוֹכָבִים לְעוֹלָם וָעֶד :

Otho, (1.) natione Suevus [1]), (2.) anno p. Chr. n. CIƆLXIX, nobili loco natus, sed mediocri, ut videtur, fortuna [2]), patrem habuit Bertholdum I, comitem Andecenſem, matrem Sophiam [3]), Amerthalii ducilſam. Quos tenerum pueruli animum mature rerum divinarum notitia et amore imbuiſſe, plerique ſcriptores, quamquam obiter, tamen uno ore affirmant. Sed utroque parente ante orbus, quam ephebus factus eſſet, illorum curam vix frugi ſibi vertere poterat, ni Deus ipſe et ſervator optimus maximus puerum, quem jam in matris ſibi gremio elegiſſet, educandum ſumſiſſet. Quod mox apparuit. Nam omni mundanarum rerum cura abjecta, Friderico fratre, (3.) ut perhibent, conſilium et pecunias ſuppeditante, brevi totum litteris ſe dedit. Sed ne fratri, ſtipendia merenti, moleſtior eſſet, paullo poſt in Polo-

1) Bugenh. Pomer. p. 78. ex hiſtoricis div. Oth.

2) Idem, loc. laud.

3) Adelheidam nuncupat Bugenh. loc. laud.

niam profectus eſt, doctis tunc temporis viris carentem, ut, ludo ibi litterario inſtituto, victum ſibi conquireret. Quam quidem rem ſummus rerum humanarum moderator anſam fecit, unde omnem Othonis vitam ad ſuam gloriam et illius atque humani generis ſalutem formaret. Deus enim eſt, qui humilia reſpicit [4]), et, potentibus de thronis detractis, efferens humiles, ex iis praecipue, qui mundo deſpectui ſunt, ſuam ſibi laudem parat. Itaque Otho, quum, difficillimae Polonorum linguae brevi admodum tempore gnarus factus, multos nobilium filios inſtituendos haberet, diſcipulis carus, mox, per ipſos, apud principis aulam innotuit.

Tum Boleslaus II, (4.) dux, Poloniae imperitabat. Nam regiam, qua antea Poloni principes gaudebant, dignitatem primus Boleslaus, nefandae Szezoponowskii, episcopi Cracovienſis caedis, ab ipſo patratae, poenas luens, ad tempus amiſerat. Is, quum eximiam viri indolem cognoviſſet, vixdum in gratiam receptum, illico, legatum ad Henricum IV miſit, Germaniae tum ſceptra tenentem, ut Judi-

---

4) Luc. 1, 48. 52. Mire cum hac evangelii ſententia illud ethnici poetae conſentit:

— — — *Valet ima ſummis*
Mutare, et inſignia attenuat Deus
Obſcura promens. Horat. carm. I, 34, 12.

tham 5), imperatoris ſororem, in matrimonium ſibi peteret. Quo quidem ſatis honorifico mandato, ad praeſulis nutum peracto, Otho, ipſius, cujus paranymphus fuerat, duciſſae procurator factus, in dies magis inclaruit. In graviſſimis rebus dominae auctor ſuaſorque exſtitiſſe narratur, quae ſub ejusdem auſpiciis etiam linguae Polonicae addiſcendae operam navavit. Iisdem temporibus ſaepe nuncius in Germaniam miſſus perhibetur. In quibus itineribus, quum aliquoties Herbipolin inviſeret, primum ibi documentum liberalitatis ſuae, multis mox exemplis illuſtratae, edidiſſe, ſuisque xenodocheum ſumptibus aedificaſſe memoriae traditum eſt 6). Caeterum in hac ſua, et quam poſt vixit, aulica vita tantum abfuit, ut mundi illecebris ſe irretiri pateretur, ut in aula aulam fugeret, tantamque et vultu et moribus gravitatem prae ſe ferret, ut, ipſo praeſente, nemo aulicorum quippiam dicere vel agere turpiter auſus fuerit 7). Tanta autem, teſtante aliquo ſcriptore 8), in erudiendo et ſermocinando a Deo gratia erat praeditus, ut non paucos, graviſſimorum peccatorum pondere depreſſos, ad multam poenitentiam tra-

---

5) Andr. Gretſ. I, 1. Sophiam, Cram. *Kirchenchr.* I, 4.
6) Andr. Gretſeri ap. Surium I, 2. p. 32. Bugenh. p. 79.
7) Eod. loc. Cf. Cranz Saxon. V, 44. 45.
8) Apud Meillerum in mundi mirac. p. 26.

duceret; immo ne parvulis quidem elementa religionis explicare gravatus est. In omnibus autem respectabat honorem Christi, salutem populi, contemptum sui, sciens sibi non suam, sed Domini esse utilitatem quaerendam 9).

Sed, quum brevi immaturam ducissa mortem obiisset, denuo Deum solum, fortissimum salutis suae cornu, respicere edoctus est 10). Tum, quibus modo affluxerat, subito bonis exutus, Ratisbonam se contulit, Bavariae tum temporis metropolin, ubi in canonicorum numerum adscriptus est. Mox autem, Helica 11), Henrici imperatoris nepte, Ratisbonensi id temporis abbatissa, iisdem, quas apud ducissam obtinuerat, vicibus eum fungi jubente, laetiori fortuna usus videtur. Sic iterum procurator factus, etiam Ratisbonae in via Domini gradum tenuit, usque dum, imperatore hanc urbem visente, in accuratiorem eius notitiam pervenit. Qui virum, quem, tamquam pretiosum quoddam κειμήλιον, enixis precibus a nepte impetraverat, primum, quem dicunt, Capellanum adscivit, dein a secretis sibi et postea temporis consiliarium intimum atque cancella-

9) Andreas Gretseri apud Meiller. l. cit.

10) In prima hac sua apud Polonos commoratione Othonem ab Gnesnensi episcopo sacros ordines accepisse conjecit Meillerus pag. 13.

11) Iuditham Andreas abb. usurpat apud Iaschium pag. 17.

rium esse iussit. Capellano autem id potissimum negotii erat, ut mensae imperatoris benediceret et, dum invicem psalmos decantarent, precibus cum eo vacaret. [12])

Ex hac vitae eius periodo suavis quaedam res ab aliquo scriptore [13]) memoriae prodita est, quam, licet, quod nonnullis placet, viri ad altiora promovendi ansam aliquam praebuisse, fortasse probari non possit, tamen, quum periucundum et de universa Othonis indole, et de mutuo eius atque imperatoris amore testimonium exhibeat, ipsis, quantum fieri poterit, hoc loco, illius scriptoris verbis inserere iuvat. Scilicet liber, ex quoimperator psalmos decantare consuevit, continuo manuum attritu, multum devenustatus erat. Quem industrius Otho cernens, tam indecorum librum regiam maiestatem dedecere iudicavit. Quare, absente imperatore, vetusto codicem involucro despoliavit, et novam mercatus pellem eumque decenter cooperiens, loco suo tacitus reposuit. Inter haec, confectis negotiis, imperator reversus et quod factum erat nesciens, psalterium suum a cubiculariis requisivit. Illi in solito loco non inventum,

12) Vetus scriptor talium capellanorum munus ita describit, ut simile illi, quod a nostris principibus iis, quos vernaculo sermone „*Beichtväter*“ appellamus, iniunctum iis fuisse officium appareat. *Auricularios* appellat Andr. Sur. p. 33.

13) Andr. Gretseri ap. Sur. I, 5. p. 33.

licet prae omnium oculis esset, deperditum lamentati, hinc inde discurrendo, omnes excussêre angulos et Caesari, sese nullum invenisse, tremebundi indicarunt. Quibus leniter imperator: Vocate Othonem meum et ab eo sciscitamini! Qui vocatus comparuit et de libro interrogatus, coram imperatore iacentem mox levavit reverenterque porrexit. Hunc admiratus Caesar, aiebat: et quis tam nitido innovavit operimento? Cui submississime Otho: ego, augustissime Caesar. Quo intellecto, ille, collum eius amico stringens amplexu, eumque osculatus, in haec prorupit verba: Vivit Dominus! sicut tu, inter caetera diligentiae monumenta, psalterium meum, vetusto exutum tegmine, novo illustrasti operimento, sic et ego te, paupertatis tunica spoliatum, in novi honoris culmen extollam. Et exinde quaerebat opportunitatem, quomodo eum promovere et pontificali infula redimire posset. — Hactenus auctor noster. — Nobis autem narratiuncula, nativo quodam, quem redolet candore, probabile veritatis argumentum prae se ferre videtur. Sed fides apud auctorem esto. Inter haec Otho et aedilitio quodam munere functus est, ab imperatore, ob raram, qua excellebat, parsimoniam, templo Sanctae Mariae Spirensi aedificando praepositus.

Episcopatus autem hoc ad eum modo delatus est. Augustano et Halberstadiensi episcopatibus, licet precibus imperator repulsae acriter

obviam iret, ficut coniicere licet, tum humilitate adductus, tum praefertim, ne papae displiceret, epifcopis ab imperatore electis, acerrime infenfo, obftinatiffime repudiatis, tertio, quem Otho in aula degerat, anno Rupertus mortuus eft, epifcopus Bambergenfis. Cuius in locum quum Henricus, cleri fortaffe interpellationem veritus, primo cancellarium defignare cunctaretur, poftea, haud fatis conftat quibus rationibus ductus [14]), confilium mutaffe narratur. Nam Mogontiaci, coram electis e clero viris, ob eam rem huc advocatis, carum fuum Othonem Bambergenfium creavit epifcopum. Quem illis, tamquam terrae filium, plane fibi ignotum, tali honore indignum muffitantibus, imperator iratus: Bamberga eft mater eius, affeveraffe dicitur, equidem pater. Qui nocuerit ei, tanget pupillam oculi mei, quique ei adverfari tentaverit, nobis quoque adverfus fit neceffe eft [15]). Otho autem, invifo fibi honore multum fruftra recufato, poftquam ad Bambergam appropinquaffet, media hieme, nudis urbem ingreffus eft pedibus [16]), neque in obtrufo munere, priusquam, Romam profe-

---

14) Andr. Gretferi ap. Sur. I, 6. pag. 34.

15) Loco l. c. 7. Anon. Canif. I, 3. p. 43. Bugenh. 80.

16) Quod ipfum centuriae Magdeb., tamquam falfae humilitatis indicium, in vituperium ei verterunt. Cui fententiae quum tot totius vitae eius facta repugnent, undenam illam falfam fuiffe humilitatem iudicant? Cf. mantiffa 5. Caeterum idem, fex faeculis ante, Severinum

ctus, onere ſuo ad pontificis pedes abiecto, ab ipſo denuo eſſet inauguratus, acquieſcere potuit. Et iam in ipſa papae poſtrema ſalutatione, vera certe animi humilitate adductus, ne ſacerdotium ſibi imponeretur, deprecatus fertur [17]. Nihilominus, in ipſis pentecoſtes feſtis diebus anni, ut videtur, cIↃCIII [18], XXXIV aetatis anno, Anagniae [19] epiſcopum conſecratum perhibent.

Locus hic admonere videtur, ut de ſumma Othonis in Romanum pontificem obſervantia, qua ſaepius ſe regi paſſus eſt, quam nonnullis fas viſum [20], paucis diſſeramus. Licet, his ipſis in papam ſtudiis commotus, mox contra infortunatum Henricum, iam regno ab ipſo filio exutum, a degenerati filii et trucium Romanorum partibus, tam fortis ſteterit papalis tyrannidis propugnator, ut, ſi copiam habuiſſet, vel eiusdem, qui innumeris eum bonis cumularat, miſeri imperatoris ſacrum caput ipſe a papali execratione non defenſurus fuiſſet: tamen, licet impium videatur, temperare nobis

---

apoſtolum in Norico feciſſe nuperrime narravit Neander, *Denkwürd.* Vol. 3. Berl. 1824. pag. 31. 17) Bugenh. 81.

18) Cf. index marg. ad Andr. Gretſ. ap. Sur. I, 10. p. 35. Proximo ab hoc anno (cIↃCII.) imperator a papa excommunicatus erat (!) et inſequenti (cIↃCIV) imperio ſe abdicavit. Diem obiit a. cIↃCVI. Unde Meillerum p. 217. falſo annum cIↃCVI, eum, quo epiſcopus conſecratus ſit Otho, ſiſtere, apparebit.

19) Andr. Gretſ. ap. Sur. loc. laud.

20) E. g. Cram. I, 8. cf. ipſius Othonis epiſtola l. l. p. 36

non poſſumus, quin eum ob hanc rem laudemus potius, quam vituperemus. Nam clericus quidem Otho non poterat niſi ad modum clericorum [21]), acres illas Henrici IV cum papali ſede altercationes iudicare. Et quum tali iudici imperator contra papam rebellis videri deberet, haud ſcio an mirandus ſit potius, quam increpandus, quod deſideratiſſimo patrono tanta tamque inexpugnabili conſtantia obviam iret. Sane haud viderunt acerbi illi optimi Othonis vituperatores, licet optimis ſtuduerint, tamen acriores, quam iuſtiores, quot ille in cubiculo fortaſſe lacrymas effuderit, clam pro illo Deum optimum maximum precibus adiens, quem palam vel morti depoſcere dira temporum neceſſitudo iuſſit. (5).

Papalem adeptus epiſcopatus ſui confirmationem, largis inſuper in Bambergenſem coetum a Romano pontifice privilegiis collatis [22]), in urbem, non ſine ſuorum gaudio, reverſus eſt. In ſacro autem munere curando

---

21) Hanc qualemcunque ſententiam noſtram, per loci anguſtias fortaſſe brevius expreſſam, ideoque obſcuram, ne quis falſo intelligat, denuo Neandrum in auxilium vocare liceat in libro: *Der heilige Bernhard und ſein Zeitalter. Berlin* 1813. pag. 14 ſqq. pag. 187. not. 19. pag. 328. not. 20., quae nobis tantum licuit ſignificare, copioſius exponentem.

22) Bugenh. 81.

non ſemet ipſum [23]), quod plurimis nunc temporis peſſimo quidem modo placet, ſed oves paviſſe, morbo adfectas confirmaſſe, aegrotas curaſſe et confractas obligaſſe, depulſas autem reduxiſſe et vagas requiſiviſſe [24]), nemo eſt qui inficias eat. Cuius rei haec tantum pauca argumento ſint, e multitudine exemplorum, quam ſcriptores exhibent, deprompta. Quum dira, ſub idem tempus, Franconia orientalis fame vexaretur, ipſe, ſuis ſumptibus, quibus inopes ſublevarentur, horrea poſuiſſe narratur. Sed dum tantae et tam profuſae indulgebat erga alios liberalitati, ipſe ſibi tam parcus fuit, ut, epiſcopus, numquam ad ſatiandum usque comederit. Omnino corpus, religione adductus, iuſto durius tractaſſe fertur [25]). Aliquando, quum fames in provincia graſſaretur, cadaver aliquod, inſepultum foris iacens, ipſe cum ſuis ſepelivit. Huc quoque referendum eſt, quod pretioſum aliquando ſtragulum, a nobili quodam dono ſibi miſſum, mox ſuper pauperem, graviter decumbentem, ſternere iuſſit [26]). Quae, quamquam externa ſunt, internam tamen viri indolem, quam egregia fuerit, ſat prodere videntur. Profecto, qui ſuorum corpori tanta cum

---

23) Ezech. 34, 1. — „Miſerorum ſuae civitatis catalogum habebat.“ Andr. Gretſ. ap. Sur. I, 43. p. 44.

24) Idem eod. cap. v. 4.

25) Ap. Bugenh. ſec. Andr. Gretſ. ap. S. I, 38. 39. p. 43.

26) Bugenh 81. ſqq.

cura prospexit, et animum non incuratum reliquerit!

Sed quae huius modi episcopus praeclare fecerit, quot praesertim templa atque coenobia vel instituerit, vel donis locupletarit, nos quidem ad maiora festinantes aliis percensenda relinquimus. Quod, quum novissimus inter Catholicos eius rerum scriptor in illo negotio longior (6) fuerit, iure quodam nostro nobis permissum iri confidimus, in hoc praecipue versantibus, ut Othonem ostendamus apostolum fuisse, sacrae scripturae regulis congruum. Ad hoc autem exsequendum propositum prius quam aggrediamur, ipsius Othonis de coenobiis condendis sententiam fere ipsissimis eius, quae apud scriptores leguntur, verbis exhibere, nostrum esse putamus, quum ex his quoque, qualis vir fuerit, eluceat.

Caeterum, quantum in his, sicut in caeteris ad bonum Othonem pertinentibus, quae a nostris quidem moribus et cogitandi ratione nonnumquam abhorreant, et temporum rationibus, et Catholicorum persuasioni concedendum sit, quivis facile intelligit. In tali, tam raro virtutum concentu aliquot etiam naevi faciliorem veniam habent, qui, umbrae in tabula picta comparandi, lumen magis extollant. Atque iisdem cavetur, ne simile quid nobis, quam Sancto Ioanni, contingat, angelum pro Deo adoranti [27]),

27) Apocalyps. 22, 8.

quippe qui tamquam pro columnis habendi ſunt, in via poſitis, ne, in ſanctis viris iudicandis, a recta humilitatis ſemita in excelſa aberremus, minime ad nos pertinentia. Nam nos omnes, licet, illius, quam Chriſtus donat, ſanctitatis eiusque, quae ſola apud Deum valet, iuſtitiae reſpectu habito, pro diverſis, quibus ad ea aſpiravimus, ſtudiis, *inter nos* gradu diverſi, in univerſum tamen, *ſi Deum reſpiciamus*, peccatores aeſtimandi ſumus et unus ſolus vere ſanctus [28]). Sic evenit, ut poetae illud: Humani nihil a me alienum puto [29]), ſed alio, quam iſte voluit, ſenſu, ſummo iure, ad nos accommodare poſſimus.

Othonis autem de coenobiis haec fuit ſententia [30]): Mundus, aiebat, iſte totus exilium eſt, et quamdiu vivimus in hoc ſaeculo, peregrinamur a Domino, unde ſtabulis egemus atque deverſoriis. Qui multa, vel nimia eſſe, vel fieri queruntur deverſoria, non ſe in peregrinatione poſitos putant, ſed in patria. Qui ſi a latrunculis occupati fuerint, ſi ſpoliati atque plagis vexati fuerint et ita ſemivivi relicti, certe vel inviti experientur, quam melius ſit iuxta eſſe ſtabulum, quam procul. Quum enim repentinus ſupervenit interitus et dolor ſicut

---

28) Lib. Iob. 4, 18. 19. 25, 4 ſqq.

29) Apud Terentium, in Heautontim. I, 1. 25.

30) Anonym. Caniſ. I, 12. p. 49. Andr. Gretſ. ap. Sur. I, 23. p. 37. cf. Servatoris parabolam de Samarit. Luc. 10.

in utero habentis, ita ut se evasuros non sperent, quomodo illuc levari poterunt, si procul est? Et si tales multi in locis multis, nonne melius est stabula multa esse, quam pauca? Si enim pauca fuerint, quomodo multis peregrinis, multis sufficient aegrotis 31)? Praeterea novissima

---

31) Quo faciliorem, saltem pro eo, in quo bonum episc. positum aspicimus, cognitionis gradu, prior haec sect. eius de coenobiis disput. veniam habebit, eo acerbius est, in parte posteriori inesse, quod a vero prorsus abhorreat; quamquam pius animi sensus mox ad verum hominem reduxit, ultima enunciatione *solam rectam agendi normam* sistente. Sed nulla sine umbra lux! Tamen laetemur Othonem, Pomerania teste, in praxi melius, quam in theoria, egregium illud S. Scripturae dictum, et quidem propria sua, quam habet, vi, servasse: „viventes iam non sibi vivere debere, sed ei, qui pro ipsis mortuus sit" 2 ad Cor. 5, 15. — *et fratribus!* — Caeterum talem monachicam vitam, cum illa, cuius ideam Otho hoc loco innuit, mire congruentem, aequalis eius Hermannus, Iudaeus, qui ocularis in Guestphalico aliquo coenobio testis fuerat, depingit in illo, quem de conversione sua conscripsit, libro, primum ab I. B. Carpzovio ad calcem suae Martiniani pugionis fidei editionis Lips. 1687 exhibito, unde Schroeckhius in hist. eccl. vol. 25, p. 384 excerpsit. Vernacule versum nos nuperrime lecturis obtulimus, in ephemer. Berol. „*der Freund Israels*" 1823. vol. I. pag. 26. — In Othone autem, monachorum amantissimo, recte iudicando, non abs re erit in memoriam revocare, eum iis temporibus vixisse, quibus e. g. (teste S. Bernhardo apud Neandrum: *Der heilige Bernhard.* pag. 42.) monastica disciplina *secundum baptisma* nuncupabatur, ut vel reges, „fratrum

hora eſt et mundus in maligno poſitus. Sed propter eos, qui ab illo fugere et ſalvari cupiunt, quia homines multiplicati ſunt ſuper terram, et coenobia multiplicare abſurdum non eſt. Ab initio ſaeculi, quum pauci eſſent homines, neceſſaria erat hominum propagatio et ideo non continebant ſe, et nubebant omnes et nuptum dabant; nunc autem in fine ſaeculorum, multiplicatis hominibus ſuper numerum, continentiae tempus eſt. Continere debent omnes, quicunque poſſunt, atque vacare Deo. Continentia vero et alia ſanctitatis opera in coenobiis melius, quam extra illa, obſervari poteſt. Haec mihi cauſſa fuit, haec intentio multiplicandi coenobia. Modo, ut in omnibus honorificetur Deus et proximus adiuvetur." — (7)

De rebus Othonis ante apoſtolatum ſat ſuperque dictum. Iam ad ipſum hunc apoſtolatum, qui fuerit, deſcribendum accingimur. Et haec fere anſam praebuerunt Pomeraniae convertendae.

Poſtquam, longa annorum ſerie, Poloniae principes contra finitimos Pomeranos, multis

adſcriptorum" nomine, monachicam hanc ſocietatem ambirent. (Neand. Bernh. pag. 21. cf. et eiusdem libri pag. 43.) Quae obiter nunc dicta ſufficient: mox eadem de re in textu plura.

proeliis male pugnaſſent 32), illius tandem Boleslai, cuius in aula iuvenis Otho verſatus erat, filio, cui nomen Boleslao III, contigit, ut, ſub annum cIↃcxxI, trucem gentem penitus debellaret. Is Sedinum urbem, natura valloque mirum quantum munitam 33), brumae tempore per Viadrum, glacie obtectum, aggreſſus, eaque urbe, quae illius regionis caput eſt, facile potitus, rationi bus, quas mox afferemus, adductus, nihil prius habuiſſe videtur, quam ut devictos incolas, pro idolis conſervandis de vita dimicantes, Chriſto nomina dare adigeret. Nam Poloniae regibus mature iam, ſub decimi ſaeculi finem, per Micislavi principis uxorem, natione Bohemam, rex regum Chriſtus innotuerat. Sed principis epiſcopi, gentis barbariem pertimeſcentes, votis illius ita male ſatisfecerunt, ut totos tres annos, poſtquam Pomerania debellata eſſet, fruſtra quaeſierit, qui meſſores hanc vineam adirent. Acceſſit, ut, qui Saxones hoc apoſtolatu fungi parati eſſent, eos Slavicae linguae imperitia praepediret. Demum ſub annum p. Ch. n. cIↃcxxIV 34) iucunda Othonis, quem

32) Kantzow Pomerania libb. priorib. Bugenh. 84.

33) Et quidem adeo valida erat urbs, ut, Saxone Grammat. teſte, rem in proverbium verterint homines.

34) Sic a nonnullis narratur e. g. Bugenh. 86. Sunt et, qui, iam prius vocatum, Othonem totum hoc fere triennium in itineris apparatum conſumſiſſe contendant.

iuvenem in patris iuvenis aula convenerat, eiusdemque et Slavicae linguae haud ignari, in mentem ei recurrit memoria. Ad quem illico litteras perſcripſit, quarum, ſi ſcriptoribus credendum, hic erat finis 35): „Quia tua ſanctitas ad omne opus bonum prompta et indefeſſa praedicatur, rogamus, pater amantiſſime, non te pigeat, noſtro comitante ſervitio, pro Dei gloria tuaeque beatitudinis incremento, id laboris aſſumere. Sed et ego tuae paternitatis devotus famulus impenſas omnes et ſocios itinerum et linguae interpretes et coadiutores presbyteros et quaecunque neceſſaria fuerint praebebo. Tu tantum, ſanctiſſime pater, venire dignare."

Quibus perlectis Otho, quamvis, iam XVIII annos epiſcopatu functus, LV annorum aetatem ageret, tamen prope iuvenili ardore conſilium foviſſe, et nihil, neque provectam aetatem, neque locum, in quo poſitus eſſet, omni munditiarum genere affluentem, curans, illico ad ducis ſe vota explenda accinxiſſe fertur. Quod ne quis factu facilius putet, monere iuvat, omnibus omnium temporum Sancti Pauli in ethnico apoſtolatu imitatoribus et incredibiles illos, quos ipſe deſcripſit 36), ſuſtinendos et

35) Anon. Can. II, 4. p. 57. Andr. Gr. ap. S. II, 6. p. 48.

36) 2 ad Corinth. 11, 23—33. cf. Act. 20, 18—35. (prae caeteris verſ. 19. et 23.) Maxime egregius apo-

fuiſſe et eſſe labores. Eaedem, uti mox apparebit, quae Paulum, Othonem quoque plagae afflicturae erant, eadem vincula metuenda, eadem expectanda mors. Et Pomeranorum apoſtolus itinera multa fecit, et pericula ſubiit in fluminibus, inter latrones, cives paganosque, in urbibus locisque deſertis, in mari, inter fratres ſimulatos, vexatus moleſtiis laboribusque, vigiliis multis, fame ac ſiti, ieiuniis frequentibus, frigore ac nuditate: ut omittam, quae praeterea evenerunt, quotidianum hominum ad illum concurſum curamque omnium coetuum gerendam. Quis imbecillem ſe geſſit, quin ille quoque imbecillem ſe geſſerit? Quis offenſus fuerit, quin ille quoque exarſerit?

Et fuit quidem, quod bene notandum, optimus epiſcopus, ſi minus, quum primum, certe quum iterum Pomeranicum ſuum ſuſciperet apoſtolatum, vir ſeneſcens, iamiam virium defectui obnoxius. Verum enim vero qui, tali conditione, tantos, tam lubenter, pro Chriſto labores ſubierit, eum de rupe illa divina [37]), fidum quemque eius cultorem ubivis comitan-

---

ſtoli locus, qui, praeclaram illam continens Epheſinam valedictoriam orationem, paucis, totum eius apoſtolatum, qui fuerit, depingit. Iam lecturos, ut iis, quae in prolegomenorum fine ſimilia Pauli verba attulimus, cum inſequentibus locis hunc quoque, comparando, adiiciant, invitamus. Ad Rom. 8, 36. 9, 2. 1 ad Cor. 15, 30. 31. 2 ad Cor. 1, 8. 9. 7, 5. 2 ad Tim. 3, 11. rel. plur.

37) 1 ad Cor. 10, 4 cf. Exod. 17, 6.

te, non ſemel tantum et praetereundo hauſiſſe oportet! Immo fieri non poteſt, quin is, qui ſic totum Chriſto ſe dederit, ipſi ſibi omnino demortuus, iam eius vitam ſuam ſibi vindicarit.

Sed ante quam totum ſancto ſe operi daret, ſuis in conſilium vocatis, et Romam miſit, qui ſummum pontificem, quem nullo non tempore ſuſpicere conſuevit, ut tanto conatui benediceret, rogarent [38]). Calixtus II tum temporis papa ſummam Romanam ſedem tenuit, qui epiſcopi legatis laute exceptis, rogantibus facilem ſe praebuit, et larga inſuper privilegia adiecit. Quo quidem deſiderato nuncio brevi accepto opulentiſſimum ſibi, ſuis ſumptibus, omnis generis commeatum paravit. Nam a Bernhardo [39]), monacho quodam Hispano, infortunato ſuo in Pomerania convertenda praecurſore, Pomeranorum apoſtolo ad conſilium obtinendum imprimis opus eſſe divitiis edoctus fuerat. Illum, paucis ante annis, ſuperbi pagani ob mendicum habitum, quo Chriſtum, humilli-

---

38) Idem jam quatuor ſaeculis ante Bonifacium apoſtolum, ad Friſios abiturum, feciſſe apud hiſt. eccleſ. ſcriptt. invenimus.

39) Franciſci Woken diſſ. de converſionibb. Pomeranor. ad relig. Chriſt. ante communiter ſic dictum apoſtol. Pomer. Ottonem. Bamberg. Lipſ. 1726. 4. Bugenh. p. 83. Schroeckh *Kirchengeſch.* Vol. 25. p. 223. Ludwig Gieſebrecht: *St. Adalbert in Pommern,* in ephemer. *Pommerſche Provinzialblätter* vol. 5. 1823. faſc. 2.

mum dominum ſuum, imitaturus, incedere ſe gloriaretur, e Iulino urbe expulerant.

Prius quam autem ſenem noſtrum apoſtolum, Pomeraniae fines iam iam ingredientem, porro ſequamur, primum, quum optimus quisque aliquam tamen ſui temporis labem ferat, pauca in univerſum de aevi eius, praeſertim quoad Germaniam, habitu, deinde de Pomeranicae terrae tum temporis ratione, religione et incolis praemonenda videntur. Ex his, qualis ipſe Otho et qualis, quem ſubierit, labor fuerit, quique in exſequendo modus et eventus, optime iudicari poterunt.

Et temporum quidem, quae Othonem tulerunt, univerſam conditionem adumbraturi, quum et conſilium noſtrum et ipſae huius libelli anguſtiae ampliorem expoſitionem prohibeant, optime ad rem facere nobis videmur, ſi tum praeclariſſimos aliquot viros, tum maioris momenti facta, quae illa ſaecula inſignirint, obiter recenſeamus Docti enim, quibus ſcribimus, e ſingulis lineis univerſam ſibi temporis faciem efformabunt. Primum, ſi res politicas conſideremus, cum eccleſiaſticis tum temporis, licet et hoc uni, vel alteri parti aliquem ſuum fructum tulerit, in univerſum tamen arctius, quam optabile erat, coniunctas, adoleſcente Othone [40]), infauſtis Henrici IV con-

40) Quum veriſimile ſit, eum cIɔLXIX natum eſſe,

tra papalem tyrannidem conatibus, imperatoria Germanorum auctoritas ad tempus misere concussa erat. Si ecclesiasticas, fere haec monenda: a. cIↃLXXIII septimus ille Gregorius, imperatoris confirmatione recusata [41]), papa factus erat. Is, quamquam nobilioribus stimulis [42]), quam obiter res eius intuentibus videatur, incitatus, tanta animo volverit, tamen magis, quam humilem Christi clientem decet, in dies suis viribus confisus, haud multo post, ius, quod dicunt, investiturae sibi soli adiudicavit, urbi praefectum, hucusque ab imperatore designatum, iureiurando sibi obstrinxit, coelibatum iussit. Quibus ut aliis similibus tamquam pro vallis et fundamentis utens, illius, quae mox provenit, tam horrendae hierarchiae aedificium construxit. Iam, praeter Henricum, etiam Philippum I, Francogalliae regem, terribili illo excommunicationis fulmine, illum re et facto, hunc minis certe terruit, ut, quum ad papae, iam regum regis, nutum summi in exteris quoque terris momenti res fierent, *pontificium* hoc aevum nuncupare ausimus [43]).

---

annus cIↃLXXXV, qui ultimus erat Gregorii VII, decimus sextus Othonis fuisse videtur.

41) Cf. *Danz Lehrb. d. christl. K.Gesch.* vol. 2. sect. 1. Iena 1822. p. 9. extr. et p. 12. not. 3. 4.

42) Cf. eiusd. lib. pag. 14. not. 10. et p. 21. med. ubi ex ipsis Gregorii litteris excerpta quaedam leguntur.

43) *Hildebrandinum* appellavit William Cave, An-

Horum autem ipſorum, qui fere terrarum orbi tum temporis imperitabant, pontificum et clericorum quam peſſimi mores fuerint nemo certe, ut e pluribus tantum praeclariſſimos duos nominemus, S. Bernhardi et Ruperti Tuitienſis hac de re querelarum gnarus, in dubium vocabit. (8) Et novae in dies monachorum catervae, tamquam Cadmeum ſemen, e terra quaſi exortae ſunt, ſiquidem eodem fere tempore Carthuſii, Ciſtercienſes caeterique omnes in ſuos quique ordines coaluerunt. Omnino monachicae vitae tunc tantus honor erat, ut, qui monachus eſſet factus, ad religionem converſus praedicaretur 44). Quo magis lau-

---

glus, in ſcriptor. eccleſ. hiſtoria literaria. (Cui reſpondet Caſp. Calvör in libro: Fiſſurae Sionis Lipſ. 700. 4. tamquam *clerico-tyrannicum*, at quaerens in crepuſculo, ſaeculum illud ſignificans.) Et quicquid etiam contra disputatum fuerit, hic tamen principalis temporis χαρακτὴρ habendus videtur. Quamquam ne tali quidem tempori laus ſua deneganda eſt, quod, quum alia praeclara exempla *deſiderii virorum*, quales *Amos* ille *Comenius* et Francogallus *St. Martin* (in libro notiſſimo eodemque praeclariſſimo: *l'homme de désir*), appellabant, exhibuerit, tum praecipue viros, quales, ut duos invicem ſibi inimiciſſimos hic ſaltem amice iungamus, S. Bernhardus et Arnoldus de Brixia, Rupertus Tuitienſis atque Otho et Vicelinus apoſtoli fuerunt, et primum illud, certe in originibus ſuis non omnino reprobandum, Palaeſtinenſe agmen procreavit.

44) Cf. not. 31. in fine.

dandus est Otho, qui, quamquam ordinem illum adeo fovebat, ut, iam episcopus, aliquando graviter decumbens, ipse in monachicam obedientiam et religionis habitum suscipi gestiret 45), tamen, cuius litterae eius testes sunt, in tanta monachorum colluvione, ne magis degenerarent, sua et sapientia et severitate prospexit. Caeterum, hoc ipso tempore, quum Otho XXVIII annos natus esset, primum quoque, quod sacram urbem et servatoris sepulchrum Muhammedanorum barbarie liberaret, agmen instructum est. Porro iisdem fere annis, quibus Pomeraniae Otho, Vicelinus Slavis, Lubecam accolentibus, evangelium attulit. Uterque, per longum admodum tempus, ultimus fere apostolico nomine dignus apostolus. Nam post plura demum saecula, quae, in universum, fere apostolis caruisse videntur, reformata per Lutherum ecclesia, in Anglia atque Germania novi exorti sunt tales Dei legati. Vivo autem Othone, dum in meridionali Europae parte nova nox, inter ipsos Christianos coorta, in terras irruebat, septentrionales eiusdem partes, vastae, prae caeteris, Sueciae regiones, paganis erroribus expulsis, e tenebris ad Dei admirabile lumen vocatae sunt. Denique quod ad litteras attinet, eodem

45) Andreas Gretseri apud Surium I, 39. p. 43 extr. Anonymus apud Canisium I, 19. p. 53. — Bugenh. 81.

fere temporis momento, quo Romana nox amplius diffundebatur, ſi non nova lux exorta eſt, tamen quodammodo iam parari coepit fomes, qui ſaeculi XVI viris ad tenebras penitus depellendas ignem praebuit. Nam ubi ſincerum idemque ſimplex Chriſti evangelium primum evaneſcere coepit, mirabile dictu, in eadem Italia, ſub idem tempus, litterarum, iuris imprimis et, per id, Latinae quoque linguae ſtudium reviviſcens brevi et in finitimis terris increbuit. Sic evenit, ut, laeti, inter Othonis aequales Abaelardos numerare poſſimus, Anſelmos, Berengarios, Bernhardos, Lanfrancos, Lombardos atque Robertos.

Tantum de tempore Othoniano [46]). Reſtat, ut Pomeraniam, qualem apoſtolus invenerit, paucis depingamus. Fuit autem illa regio [47]), ſicuti nunc quoque apparet, longo ſecun-

---

46) Cf. *J. Voigt*, *Hildebrand als Pabſt Gregorius* VII *und ſein Zeitalter*, *aus den Quellen dargeſtellt*, Weimar 1815. — *Schloſſers Weltgeſchichte* 2. Th. Frankfurt a. M. 1818. pag. 642 ſqq. Vol. 3. p. 128 ſqq. *Rühs Handbuch der Geſch. d. Mittelalters. Berl.* 1816. *Danz KGeſch.* vol. 2. ſect. 1. p. 2 ſqq. Neandri Bernh.

47) Cf. Valentini ab Eickſtet deſcriptio Pomeraniae, ad calcem eius annalium, a Balthaſar editt. Gryphisw. 1728. — Chriſt. Ockel oratio in laudem Pomeraniae, illius ſitum caet. breviter deſcribens. Stettini 1626. 4. Bugenh. in Pomerania 11 ſqq. — *Schwarz Geographie des nördl. Deutſchlands.*

dum Balticum mare, quod, terrae populoque nomen ingerens, a ſeptentrione alluvit [48]), planoque tractu porrecta, in citeriorem diviſa atque ulteriorem, cui utrique Viadrus fluvius pro termino eſt. Sed hanc proprie ſic dicti Pomerani incolebant, confini Polonico regno ſubmiſſi, dum illam varii Venedorum populi tenebant, inter quos *Sedini* atque Megapoli noſtrae confines *Luticii* excellunt, de quibus poſthac plura dicentur. Quod ad caelum, mitior terra iudicanda eſt, quam rigidior. Qua virtute, quod quidem, arctici ſitus reſpectu, minime arbitreris, ita excellebat, ut in ſcriptoribus alius [49]), cui tamen, hodiernam terrae conditio-

---

48) *Pomerani* Slavonice *Pomorzi*, i. e. maritimi, a *po* apud et *mor* mare. Ita linguae iſtius periti nomen explicant, nec quicquam impedit, ut ſequamur. — — Ipſum Pomeraniae nomen novum eſt, ab advenis e Sarmatia confictum, et ante ſaeculum XI. vix auditum. — Hactenus Wachter in gloſſ. Cf. Haſſelbach in aureo libro: *Ueber Sells Geſchichte des Herzogthums Pommern, ein Sendſchreiben* caet. *Stralſund* 1821. p. 41. ubi miram et fere ridiculam in derivando terrae nomine ſcriptorum diverſitatem invenies. — Quod ab his diverſum nominis etymon Anonymus apud Caniſ. in praef. lib. II. p. 55. Andreas Abbas apud Surium II, 1. pag. 47. et hos ſecutus Meillerus in mund. mirac. pag. 103. tradiderunt, Slavicae linguae imperitia ortum videtur.

49) *Der Alten einer, ſo mit Ottone zur Zeit der erſten Bekehrung in dieſem Lande geweſen iſt. Cramer* I, 11. Sifridus, in Gretſ. Andr. ap. Sur. II. 40. p. 57.

nem respiciens, haud scio an sit parum credendum, si vinum, oleas et ficum haberet, propter reliquarum frugum omnis generis abundantiam, terram promissionis putandam esse confirmet, alius Sedinensem vallem cum Graecorum adeo valle, cui Tempe nomen, quamvis illa, cuius rei ipsi oculares testes sumus, pulcherrima sit, tamen disertius fortasse, quam verius compararit. (9) Ac si quid de laudibus illis detrahendum sit, maior tamen terrae ipsius commendatio est, quam incolarum, qui fere a Slavis [50]) originem duxerunt. Terra marique bellare periti, spoliis et rapinis viventes, insita quadam feritate [51]), eo immanitatis processerant, ut imbelles puellas post partum necarent. Contra fraudis penitus ignari tantam fidem et mutuum inter se commercium colebant, ut et

---

50) Et cel. Mone (*Geschichte des Heidenthums im nördlichen Europa* Vol. 1. 1822 pag. 13.) Pomeranos, inter Vistulam et Viadrum sedem habentes, Slavis accenset. Sunt autem, cum Bohemis, Moraviis, Sorbis et Venedis (*Wenden*), occidentalibus Slavis adnumerandi, quum Russi contra, Poloni et Silesii ad orientales pertineant. Sed qui primi Pomeraniam incoluerint, iam huius neque loci, neque temporis est disputandum. Cf. Biester in script. Acad. Berol. hist. philol. 1804—1811, Berol. 1814. p. 100—130. fusius hac de re differentem, et egregium Hasselbach: *Ueber Sells Geschichte caet.* pag. 18—35.

51) Anonym. Canis. II. p. 55. Cf. Helmold. I, 52. 4.

ipſi nihil quicquam obſerarent, et Othonem cum ſociis ſecus agere valde mirarentur 52). Quod vero ad religionem adtinet, a cultu fideque Chriſtiana natura iam quam maxime alieni, illi doctrinae, quod fieri ſolet, eo infenſiores facti erant, quo maioribus ſtudiis duces Poloni illam iis obtrudebant. — Sed ad Othonem revertimur, mox de ethnica, cui deditì erant, perſuaſione, ubi locus monebit, plura allaturi.

Quos homines, licet naturali quadam animi generoſitate praediti videntur, tamen efferatos, ut Chriſti cognitione emolliret, iam XXIV, ut perhibent, die Aprilis, anni cIↃcxxiv epiſcopus Bamberga profectus eſt, praeter largum commeatum, raram humilitatem, bipennem verbi gladium et ſincerum Chriſti amorem, nullis omnino armis inſtructus. In quo quam diſſimilis erat cum multorum, tum Mainardi imprimis Segebergenſis, diri illius Livonorum apoſtoli! Qui, aliquot decenniis poſt a Lubecenſibus miſſus 53), quum, ferro flammaque terrens,

52) Andreas Gretſeri apud Sur. II, 40. pag. 57 inf. Anonymus Caniſii II, 29. pag. 73.

53) Anno cIↃcLxxxvi. Mitiorem ſe Schroeckhius Mainardi judicem exhibuiſſe videtur in Hiſt. eccl. vol. xxv, ubi inde a pag. 281 res eius narrat. Nos in ſecus

miſeris evangelium obtruderet, debellator potius quam apoſtolus erit appellandus. Sociis itineris Otho gaviſus eſt Adelberto quodam, Werithemo atque Sifrido, qui idem poſtea res eius memoriae prodidiſſe fertur. Sic, Bohemia, ubi Pragae paululum commoratus eſſe dicitur, et Sileſia, tum Polono duci audienti, accelerato agmine emenſis, brevi, ingenti ubivis accurrentium turba ſtipatus, in Poloniam adventavit. Nam multis inſequentibus rhedis, commeatu, tentoriis et caetera ſupellectile onuſtis, ſilentio iter facere nequibant. Iam in Poloniae finibus incolae ſolemni agmine obviam facti, hymnum decantaverunt, qui incipit: Cives apoſtolorum et domeſtici Dei veniunt 54). Gnesnam 55) autem appropinquantibus, tum regni ſedem, magna procerum circumdatus caterva, dux nudis obviam ivit pedibus. Unde quum Otho, neque hic a praedicando deſiſtens, poſt aliquot dies decederet, praeter

---

iudicando ea ducti ſumus perſuaſione, ſicut mitiſſimi Chriſti imperium nullis niſi verbi et amoris armis dilatandum ſit, ita Chriſti quoque apoſtolum, et laceſſitum, (qualem Mainardum Schroeckhius oſtendit p. 282) nullis niſi talibus armis uti debere. Etenim tale eſt Chriſti regnum, cui omne tam edictorum, quam armorum patrocinium ſemper detrimento fuit eritque! —

54) Andr. Gretſ. apud Sur. II, 8. pag. 48. Kantzow Vol. 1. pag. 86.

55) Gneſen.

alios complures, itineris ſocium tutoremque dux cum eo proficiſci iuſſit Paulicium 56) quendam, ſtrenuum virum et naturali, qua in concionibus utebatur ad populum habendis, facundia praeditum. Tres praeterea a ſcriptoribus numerantur capellani, largo inſuper omnis generis commeatu addito, ducis iuſſu agmen ſecuti. Sic totos ſex dies per denſiſſimam ſilvam, feris infeſtam, inter Poloniae, tum temporis, atque Pomeraniae fines excurrentem, profecti ſunt. Adeo erat invia regio, ut proſtratae tantum, huc illuc iacentes, aliquot arbores viam iis monſtrarent. Quas milites Poloni populabundi nuper transgreſſi, ceciderant. Tum plurimum laboris in eo erat, ut currus et iumenta perducerent. Noctu, ut a feris et frigore ſe defenderent, ingreſſi ſunt tentoria.

Denique, ſub feſtos pentecoſtes dies, prope Vſczam oppidum 57), ad fluvium conſtiterunt, utriusque terrae, et Poloniae et ulterioris Pomeraniae, fines praeterfluentem. Moxque in altera ripa Wratislaus dux comparuit, iampridem, ut perhibent, ſed clam popularibus, Chriſtianus factus. Eum Polonus victor,

---

56) Paulitzki. Kantzow loc. laud. Andr. Gretſ. apud Sur. II, 9. p. 49.

57) Kantzow pag. 86. Bugenh. ſec. Andr. (Gretſ. ap. Sur. II, 10. p. 49.), qui Uzdam nuncupat, Usda. pag. 87. Cramer (*Vſs'tza*, *jetzt Tuez*) I, 26.

ut apoſtolum laute exciperet, nunciis iuſſerat. Tum ſuave ſimul et atrox videre licuit ſpectaculum. Nam, dum princeps cum epiſcopo conſultum ibat, milites Pomerani, qui, ducis ſatellites, numeroſi una advenerant, ſive ethnico furore inſtincti, ſive, quod de Chriſtianis, quales perhibentur, facilius credimus, ut amice illos deluderent, bellici ſtrepitus inſuetos, Bambergenſibus mortem et cruciatus minati, iam minis vim addere parabant. Tum ſenex Otho, illum Virgilii 58) referens pietate gravem et meritis virum, ſolus ex ſuis intrepidus, hortationibus, et barbarorum rexiſſe animos, et timentium pectora mulſiſſe videtur 59). Colloquio, quum Slavo-Pomeranicam linguam, paulum a Polonica dialecto discrepantem, Otho nondum ſat calleret, interpres adhibitus eſt Paulicius. Quo ad utriusque voluntatem finito, nocte ingruente, disceſſerunt.

Poſtero autem mane epiſcopus, in haec ſervatoris apud Ioannem 60) prorumpens verba: Levate oculos et videte arva, iam ad meſſem alba, quae qui metit, mercedem accipit et congregat fructum in vitam aeternam! flumine tra-

---

58) Aen. I, 151.

59) Quod, quum de duce narretur, facile et de epiſcopo ſumendum erit. cf. Andr. Gretſ. apud Sur. II, 11. p. 49. Anon. Caniſ. II, 6. p. 58.

60) Ev. Ioan. 4, 35. 36.

iecto, Pomeraniam, exoptatum laborum campum, ingreſſus fertur. — Sed iam pridie in ducis caſtris, nonnullos e principis comitatu baptizando, Pomeranicae gentis primitias credentium catervae addiderant. Ubi Otho ducem et aliis muneribus et eburneo baculo donaviſſe narratur. Quo illum ita delectatum ferunt, ut nunquam, quousque iret, depoſuerit. Qualem, clamitabat, patrem nobis dedit Deus et qualia patris dona! Similia, ut ſibi illos et ſuae rei conciliaret, e largis, quos ſecum duxit, theſauris, et in caeteros contulit. Melius autem, quam externis his lenociniis et, licet ferventia eſſent et multum ad perſuadendum valerent, ſanctis colloquiis, tranquilla profecto ſui ipſius exempli vi promovendo evangelio proſpexit. Neque enim credibile eſt, Pomeranos, qui tanta, quam aliis largiebatur, copia inſtructum, ipſum abſtinentiſſimum et viliſſima conditione contentum ſenem videbant, hoc tanto ſpectaculo plane non commotos fuiſſe. Certe, ſi quis alius, Otho, apoſtolum moribus plus, quam ſermonibus valere, declarat.

Tum ad *Pyriſſam* 61) oppidum perrexit, per vaſtas regiones, ob bellicum tumultum incolis deſertas, iter inſtituens. Nihilominus in ipſo itinere, paſſim occurrentes, numero

---

61) Pyritz.

circiter triginta, eum baptizasse memoriae traditum est. Sed Pyrissam appropinquantium laeti barbarorum clamores aures pepulerunt. Nam solemnia forte, ad quae omnes undique accolae [62]) confluxerant, idoli alicuius sacra celebrabantur. Quae res tanto nostros percussit timore, ut neque ignibus, neque mutuis inter se colloquiis usi, silentio, somni expertes, in quo constiterant loco, extra oppidum, redeuntem opperirentur solem [63]). Quo facto Paulicium, cum aliquot ducis consiliariis, nuncios Otho oppidanis misit, qui, principis nomine, primoribus civitatis, ut reverenter semet exciperent, persuaderent. Virum esse honorabilem, confirmasse dicuntur [64]), domi divitem et nunc quoque in aliena terra suis opibus sufficientem. Nihil illum petere, nullius egere, pro illorum salute tantum advenisse, non quaestus gratia. Memores sint fidei ac sponsionis suae, memores divinae ultionis et recentis exterminii [65]), ne denuo iram Dei exasperarent.

---

62) Ad quatuor millia. Anon. Canis. II, 6. pag. 59.

63) Anonym. Canis. II, 6. p. 59. Andr. Grets. apud Sur. II, 13. p. 49.

64) Anonym. Canis. II, 6. p. 59. Andr. Grets. apud Sur. II, 13. p. 49.

65) „Fertur decem et octo millibus virorum pugnatorum [in ultimo, quo Pomerani debellarentur, proelio] interfectis, octo millia, cum uxoribus et parvulis,

Orbem universum Christianis legibus deditum, se solos universitati resistere non posse[66]. Qui-

---

abducta et in periculosis Poloniae locis constituta, ut sua fortitudine ab exterorum insultu defensarent." Bugenh. 85.

66) Iis, qui talium orationum a nobis adductarum fidem vel omnino in dubium vocaturi sint, vel hisce certe Othonianis non maiorem Livianis orationibus attribuendam censeant, haec reputanda commendamus: Nos, ut in factis, sic in orationibus quoque, dictis, litteris, vel narratiunculis exhibendis, plerumque secuti sumus Andreae abbatis de vita Othonis librum, a Gretsero editum atque in Laur. Surii libro de probatis sanctorum vitis Col. Agr. 1618, sub mense Iulio, inde a p. 51. exhibitum. Is *anonymum*, cum a multis saepe laudatum, tum a nobis quoque sedulo collatum, contemporaneum, ut videtur, vitae Othonis scriptorem, ut ipse his fere verbis in praefatione libri affirmat, „in locis quibusdam ita infirmo intellectui obscurum, ut difficile pateat, quo oratio tendat, et in nonnullis locis a se ipso discrepantem, apertiori sententia reserare studuit." Quorum uterque unde sua et qua fide traxerit cel. Mohnike me melius docebit, in doctissima praefatione libri, qui inscriptus est: „*Bartholomäi Sastrowen Herkommen Geburt und Lauff seines gantzen Lebens von ihm selbst beschrieben.* 1. Th. Greifsw. 1823. his ipsis diebus e prelo prodeuntis, pag. 17. ita locutus: „*Das leidet keinen Zweifel, dass dasjenige, was die Zeitgenossen Ottos Sifried, Tiemo und Ebbo und ein gewisser Herbord aufgezeichnet hatten, oft mit denselben Worten, namentlich vom Andreas wiedererzählt worden ist.*" [E quibus, — adiicimus, — unus et alter, saltem in Surii, quam solam ipsis nobis inspiciendi copia erat, Gretse-

bus, quum ingenue respondere, insidias molientes, cunctarentur Pyrissenses, legati nec

riani Andreae editione, ipsi de Othonis rebus mutuum colloquium instituentes introducuntur. Quorum fidei id ipsum magnam vim addere videtur, quod tum unus loquentium, *Sifridus*, ocularem semetipsum primae Pomeranicae expeditionis testem exhibet, tum, quae de altera, cui ipse non interfuerat, affert auctor, ab *Udalrico* quodam, Othonis in illo itinere socio, (vide Anonym. Canis. III, 10. pag. 81. med.) audivisse affirmat. Cf. Andr. Gretf. ap. Sur. III, 1. pag. 60.] (Cf. *Hassel-bach Sendschreiben* p. 49 — 51.) „*Man sehe* — pergit Mohnike — *die Vorrede sowol des Gretserschen, als des Jaschischen Andreas, auch Gretsers Notat. bei Ludwig* pag. 562.“

Quae quum ita sint, certe non supervacanei laboris erat, has orationes, totas, vel ex parte, narrationi nostrae inserere; quum praesertim nulla vividior et efficacior historia sit, quam quae heroes ipsos loquentes exhibeat, et ex *verbis* aeque ac factis vir, qui sit, optime cognoscatur. Caeterum, quod de orationibus caet., idem de factis, ab utroque narratis, valere in dubium vocari non poterit. Quare ex his quoque, diligenter inter se comparatis, tam singulis scriptoribus, quam, ubi data facultas erat, diversis aliquot illorum editionibus, ea, in quibus narrandis fere convenirent inter se, si alias nihil fictitii spuriive saperent, propositoque inservirent nostro exsequendo, in nostrae assumsimus scriptionis materiem. — Sed quae de fontibus nostris ad calcem libri copiosiora attulimus hic quoque conferenda monemus. —

minis, neque precibus prius inhibere, quam, dira magis, ut videtur, necessitudine, quam

---

Denique de universo huius nostri memorialis libelli habitu, loco monente, iampridem allatis pauca haec adiicere liceat. Etenim tantum abfuimus, ut hac qualicunque scriptione nostra in nobilem nos historicorum Pomeranorum consessum intruderemus, ut, etsi *integram* Pomeranorum conversionis historiam simul tradidisse haud ita aegre feremus, id tamen, iam innuente praefatióne, prae caeteris propositum haberemus, ut solum Othonem, qui — potissimum internae animi indolis, quantum ex verbis factisque iudicari possit, respectu habito — *apostolus tam factus sit, quam fuerit*, illo ipso tamquam colores praebente, depingeremus. Quem quidem finem brevi et simplici summarum rerum narratione, quantum fieri potuit, apostolum ipsum loquentem introducentes, subinde, ne quis narrata, scribendi brevitate huc illuc fortasse obscuriora, perverse intelligeret, et nostro qualicunque iudicio inserto, assequi posse nobis persuasimus. Sed quum tam ab omnibus recte et facile percipi, quam fidum nos rerum interpretem exhibere summopere gestiremus, in notis et historica plura uberius exponenda erant, quam textus angustiae, a proposito iussae, concesserunt. Praeterea per idearum connexum factum est, ut inter meditandum legendumque occurrerent nonnulla, quae, quamquam non stricte ad rem pertinerent, tamen, quum facile lectorum uni et alteri alicuius momenti esse possent, quominus, ὡς ἐν παρόδῳ, apponeremus temperare nobis non potuimus. Inde et quod lecturis, tam quae brevius a nobis disputata

ſincera perſuaſione adducti, penitus mutatam proderent ſententiam. Et ſic fere verba feciſſe dicuntur 67): „Altiſſimus ipſe Deus ſua nos virtute circumventos undique trahere videtur. Declinare non poſſumus; ſequamur ergo trahentem ad vitam, ne reluctantes bonitati eius, praecipitemur in mortem. Dii noſtri, ſicut apparet, Dii non ſunt; contra eum nos iuvare non poſſunt. Melius ergo eſt, ut, relictis deſertoribus, ad verum Deum, qui non deſerit ſperantes in ſe, ex toto transeamus." — Certe fictitii aliquid ſapere hanc orationem negari non poteſt. Tamen, quin apponeremus, nobis temperare non potuimus. Nam ſi minus a Pyriſſenſibus habita ſit, tamen earum, quibus Bambergenſes illis Chriſtianam fidem perſuadere quaeſierint, rationum, quaſi ſtamina quaedam

eſſent, ampliora ex ipſis fontibus repetendi anſam praebere, quam ipſos apud illos introducere ſcriptores cuperemus, ſcriptorum tum laudatorum, tum excerptorum in notis et in mantiſſa copia provenit. Qua in copia ſi tamen, ut in toto perſcribendo libro, et accuratiores et paſſim uberiores nos fuiſſe iuſto a nobis requiri poterit, altera iam vice incredibilibus nos otii anguſtiis excuſare liceat. Quod reliquum eſt, quae apud auctores tantum ſignificata invenimus, ſi ad mores apoſtoli declarandas quid facerent, a nobis aliquoties, ſed analogia duce, paulum amplificata eſſe neminem lectorum offenſurum confidimus.

67) Andr. Gretſeri apud Surium II, 13. p. 49. extr. Anonymus Caniſii II, 6. p. 59 extr.

ſuppeditare videtur. Fortaſſe etiam ſumendum erit, oppidanos, neſcio quo modo, ad mitiorem ſententiam perductos, his verbis ſupplices epiſcopum aggredi a ſociis eius vel legatis doctos fuiſſe. Sed quoquo modo res ſeſe habuerint, Othonem, poſtquam in tentorio extra murum opperienti hic nuncius allatus eſſet, illico laetum verſus urbem ſe moviſſe conſtat.

Tum plurium eum videndi, nonnullorum etiam honoribus proſequendi ita exarſiſſe cupido narratur, ut incedentem circumfuſa impediret multitudo [68]). Antequam autem, incredibili illa hominum ſtipatus caterva, portam intraret, in genua prolapſus, ob ea, quae modo contigerant, gratias agens, parem et in poſterum eventum, preces fundens, ſupplex a Deo petiiſſe videtur. Scilicet ſapiens vir de externa hac converſione eatenus tantum laetatus eſt, quatenus internae mox promovendae anſam aliquam praebere videretur. Denique, oppidanis magnificum apoſtoli apparatum cum gaudio admirantibus, ipſe pontificali indutus ornatu, editiorem aliquem magnae, quae portae adiacebat, planitiei conſcendit locum. Caeterum et ſuos, ne populo, Bernhardi inſtar, deſpicatui eſſent, magnifice veſtiri curarat. Tum, Paulicio interprete, multitudinem ſic

68) „In modum torrentis" Anonym. Caniſ. II, 6. p. 60. Andr. Gretſ. ap. Sur. II, 13. pag. 50.

fere allocutus dicitur [69]): „Benedictio Domini ſuper vos; benedicti vos a Domino; benedicimus et gratias vobis referimus in nomine Domini, quia grata et iucunda et benigna ſusceptione nos refoviſtis. Et cauſſa quidem adventus noſtri ad vos quae ſit, forte iam audiſtis et iterum, ſi dignamini, audire debetis et diligentius attendere. De via longa venimus. Salus veſtra, beatitudo veſtra, gaudium veſtrum tantae nobis viae cauſſa fuit. Nam ſalvi, laeti atque beati eritis in aeternum, ſi creatorem veſtrum agnoſcere et illi ſoli ſervire vultis.“ Dein, — alius pergit rerum Othonis ſcriptor, — Chriſtianam fidem eloquentiſſime tradidit, atque inanitatem Deorum, qui eſſent argentum et aurum, opera manuum hominum. Quorum in ore ſpiritum non eſſe ad oculum demonſtravit, praeterea oſtendens et praedicans Ieſum, Dei filium, nec aliud nomen eſſe ſub caelo datum hominibus, in quo oporteat ſalvos fieri [70]).

Quae quum, ipſe intimo pectore commotus, tam ſimplicia verba pronunciaret, fieri non potuit, quin multos ex auditoribus, qui, externis rationibus adducti, iam Chriſto nomina dediſſent, penitius commoveret. Frequentes igitur mox baptiſteria, quae erigenda curarat, circumſta-

---

69) Anonymus Caniſ. II, 7. p. 60. Andr. Gretſeri ap. Sur. II, 14. p. 50.

70) Act. 9, 14. — Apud Meillerum p. 115.

bant, tam acres nunc unius veri Dei ſe praebentes cultores, quanto paucos ante dies idolis adhaeſiſſent furore. Tum per integros ſeptem, vel, ut nonnullis placet, quindecim dies, tale, quod Deus ei aperuiſſet, praedicandi oſtium concionando et catechizando amplificare ſtuduit [71]). Dein, quo purioribus, ſicut, avito more, et ſibi perſuaſerat, animis ſpiritus ſancti in ſancto baptismo dona acciperent, trium dierum indulgere eos adegit ieiunio. In ipſo autem baptizandi modo, una cum tenerrima cura, mira ſenis caſtitas eluxit. Nam ne pudor, in toto, ut tum adhuc mos erat, ſubmergendo corpore, aliqua tandem ratione, violaretur, tria conſtituere iuſſit baptiſteria, feminis unum,

---

71) „Breve qnidem ſpatium catechumenatus. Non id ferebant antiquae leges, nec priora conciliorum decreta; non enim niſi pluribus vel menſibus vel etiam annis exactis baptizabantur catechumeni recens ad fidem converſi, praecipue qui gentilismum deierabant. *Curamus, ut longo tempore verſentur in eccleſia, et audiant ſcripturas et tunc eos baptizamus*, inquiunt concilii Conſtantinopolitani patres.“ Sunt verba I. Basnagii in obſervatione in Anonymi vitam Othonis apud Caniſ. in antiqq. lectt. tom. 3. p. 2. p. 38. ſic bonum Othonem vituperantis. — A quo ipſa apoſtolicae ſuae in hoſtili Pomerania conditionis feſtinatio nobis eum facile defendere videtur. Tamen cel. viri monita reticere noluimus. Iam reliqua, quae apoſtolo acerrime in vituperium vertit, conferas quaeſumus, lector, loco laudato ſub Num. 3 et 4. perſcripta.

adultis puerisque alterum et tertium. Quae quidem rariſſima cura, quum in baptiſteriis inſtituendis tantum receptum morem ſervasſet, proprie tamen apparuit in ipſo peragendo baptismo [72]). Sed de his longum eſt narrare. Itaque lectorem remittimus ad finem vitae, ubi plura ex chronicis allata ſunt. (10) Illud tantum monere iuvat, ipſum Othonem, dum viros feminasque baptizandos ſociis relinqueret, pueros iuvenesque baptizaſſe. Quod eum, ſervatoris exemplum ſecutum, peculiari infantibus cura proſpexiſſe, indicare videtur. Quantum etiam hac in re a recentioribus optimus vir exemplar habendus eſt! Vix enim ſperandum eſt, ut e templis aliquid fructus redundet, ſi ſcholae minus bene praeparata pectora exhibuerint.

---

72) Iam audiamus ocularem teſtem, Sifridum, Tiemoni ſuo, cui modo Pyriſſenſem baptismum deſcripſerat, in Gretſeri Andr. ap. Sur. II, 15. p. 50. ita narrantem: „Qui ea vidimus mirabamur tam haec quam alia complura morum eius et virtutum inſignia. Ipſe namque in omni actione ſua, *quod et paganis laude dignum videbatur*, quandam a ſpiritu ſcto, (hoc enim potiſſimum credo) cuiusdam ſingularis munditiae, atque, ut ita dixerim, elegantis et urbanae diſciplinae praerogativam habebat: ita ut nihil umquam indecens, aut ineptum, inhoneſtumve quid in cibo, aut potu, ſermone, geſtu vel habitu admitteret; ſed *omni* officio exterioris hominis, quaenam eſſet compoſitio interioris oſtendebat, bonitate, diſciplina et prudentiae cautela conſpicuus."

In ultima autem, quam, ſub ipſum diſceſſum, ad Pyriſſenſes habuiſſe fertur concione, cum alia, tum haec prae caeteris egregia occurrunt 73). „Sine triſtitia et indignatione ferre non poſſum, nec potero, ſi, quod abſit, ad iniuriam Domini mei Ieſu, cui per fidem vos despondi, cum Diis alienis vos denuo contaminare volueritis. Hoc enim eſt fornicationis genus, quod maxime ſeparat a Deo. Fratres intendite: ecce, omnes in Chriſto baptizati eſtis et omnes Chriſtum induiſtis. Originalium et actualium peccatorum indulgentiam accepiſtis ab ipſo. Mundi eſtis et ſancti, non per nos, ſed per eum mundati et ſanctificati, qui ipſe in ſanguine ſuo lavit peccata mundi. Nolite vos proſtituere corruptoribus et immundis ſpiritibus. Soli Deo, creatori veſtro, nulli autem creaturae divinum exhibete honorem, ne indignatio eius et furor veniat ſuper vos, ſed magis in fide et ſpe et caritate proficite, ut benedictio eius veniat ſuper vos et ſuper filios veſtros et ei credentes et fidem operibus exornantes, vitam habeatis in nomine ipſius, qui de tenebris vocavit vos in admirabile lumen ſuum. Certi enim eſſe et nullatenus dubitare debetis, quia, ſi hanc, in qua hodie poſiti eſtis, innocentiam et ſanctificationem,

73) Andr. Gretſ. ap. Sur. II, 17. pag. 50. Anonym. Caniſ. II, 8. p. 61.

ipſius adiutorio, ſervare usque ad finem vitae veſtrae ſtudueritis, non ſolum mortem evadetis aeternam, ſed etiam gaudium regni caeleſtis poſſidebitis in aeternum. Verum enim vero vita praeſens ſine peccatis non ducitur; lucta [74]) enim et tentatio eſt vita hominis ſuper terram et ſi nos peccatum non habere dixerimus, ipſi nos ſeducimus et veritas in nobis non eſt [75]). Quare iam disceſſurus a vobis trado vobis, quae tradita eſt nobis a Domino, arrham fidei." caet.

Cui quidem arrhae ſeptem [76]) deinceps eum catholicorum, quae uſurpant, ſacramenta comparaſſe atque, tamquam tot ſpiritus ſancti dona, commendaſſe, quibus in laboribus et certamine huius vitae proficere ſuosque reficere poſſent defectus, (quod quidem, proprio et eminenti ſenſu, nos proteſtantes de duobus ſolum, ſacra ſcilicet coena et baptismo, valere concedimus) pro illo certe, in quo ipſe, cat-

---

74) Venuſte *Kantzow: weil des menſchen leben ein krieg und balgent iſt.* Vol. 1. p. 92.

75) 1. Ioan. 1.

76) De illo, quod docti ſumunt, Othonem omnium primum *hunc numerum* tradidiſſe cf. Münſcherus in Hiſt. dogm. min. 1819. p. 114. *Schroeckh KG.* XXVIII, 43. ſqq. *Danz KG.* II, 1. p. 201. not. 2. „Sacramenta ſeptem numero recenſet, quamquam tria vel quatuor tantum numeraret *Lanfrancus*, qui deſinente ſaeculo XI vixit." J. Basnage loc. laud. Num. 6.

holicus, conſtitutus erat, cognitionis gradu, non improbandum videtur. Immo potius, temporum ſuorum ratione habita, — (quibus, paucis exceptis, in univerſum, homines, illibata divinarum rerum ſcientia deſtituti, Chriſtianis rebus eatenus tantum, quatenus, cum armis et poëtica quadam, dixerim, res aeſtimandi conſuetudine ſociandae, iisdem exercendis occaſionem praeberent, indulſiſſe videntur) — eum tam ſapienter id inſtituiſſe, laetandum et mirandum eſt. Nam ubi e. g. de confirmatione, vel chrismatis unctione, verba facit, eam non ad ſenectutem eſſe differendam monet, ſed in ipſius adoleſcentiae fervore percipiendam, quum illa aetas magis obnoxia ſit tentationibus. Nullum autem, niſi probatis, quos e Chriſtiana inſtitutione perceperit, cognitionis fructibus, ea donari mandavit 77). Coenam ſacram docuit cibum eſſe animi verum, vitam in ſe habentem aeternam, victuris ideo et morituris neceſſarium. Cuius quemvis, ter vel quater per annum, confeſſione facta, participem fieri iuſſit. Porro, quum de baptismo loqueretur, omnes, qui iam ſubierint, ultimae, in dies, vitae horae memores eſſe debere admonuit, utque, eius reſpectu habito, avitum in ſe malum funditus eradicare quam maxime accelerarent. 78) Quum autem,

77) Kantzow pag. 93.

78) Sunt fere verba Kantzovii pag. 92.

in ſingulis percenſendis, ad ſextum perveniſſet, coniugii ſacramentum, in haec denique effuſus eſt verba 79): „Unus vir unam tantum habere debet uxorem et una unum; quod amplius eſt, a malo eſt. Si quis ergo veſtrum eſt, qui plures habuerat uxores ante baptismum, nunc unam de illis, quae ſibi magis placet, eligat, dimiſſisque caeteris, hanc ſolam habeat, ritu Chriſtiano. Et partus, — perrexit, — femineas audio, quia vos, o mulieres, necare conſueviſtis, quod quantum abominationis habeat, exprimi ſermone non poteſt. Videte, ſi hoc vel bruta animalia faciant foetibus ſuis! Sive igitur ſit maſculus, ſive femina, diligenter nutrite partus veſtros. Dei enim eſt, et marem procreare, et feminam.“ Parvulos denique, in quovis paſchatis et pentecoſtis ſabbato, per baptismum, a ſacerdotibus Chriſtiano coetui accenſeri iuſſit. Sed debiles et iam morti propinquos quavis hora ſacramento impertiri conceſſit. De ſeptimo denique catholicae eccleſiae ſacramento, quod ordinationis eſt, ſat certe probanda haec tradidit: „non omni homini neceſſarium eſſe; quamvis enim omnes homines *indigeant* clericis, non tamen eſſe neceſſarium omnes homines *fieri* clericos. Ad ipſum vero hoc ſacramentum, *qui moribus et ſcientia magis idonei*

79) Andr. Gretſer. apud Sur. II, 17. pag. 51.

ſint, invitandos eſſe potius, quam trahendos. „Unde adhortor vos, — monuit Pomeranos, — *quia cogere non debeo*, ut de liberis veſtris ad clericatum tradatis liberalibus ſtudiis prius diligenter inſtructos, ut ipſi per vos, ſicut caeterae gentes, de lingua veſtra latinitatis conſcios poſſitis habere clericos et ſacerdotes.“ Ad altare autem, quod omni ſacra ſupellectile ornatum, ſuis ſumptibus exſtruxerat, ſe abſente, et in poſterum curandum, pariterque ad pueros inſtituendos, e ſociis ſacerdotem iis reliquit, hiſce fere eum verbis commendaus: „Ecce habetis ſacerdotem, de his omnibus et quaecumque ſunt neceſſaria vobis, abundantius vos inſtruere ſcientem. Ipſum ergo, ſicut me, audietis, honorantes et amantes eum et quaecumque vobis dixerit facientes. Et nunc ego vado, iterum cito reverſurus ad vos. Valete in Domino.“ Caeterum, praeter Chriſtianarum rerum cognitionem, et reliquis illum quibusdam ſcientiis catechumenos imbuiſſe e Kantzovii hiſtoria coniicere licet, illum, annum eos in menſes, hebdomades atque dies dividere docuiſſe, inter caetera affirmantis [80]).

Quos, quum, inter ipſa Sti Ioannis baptiſtae ſolemnia (11), neophytos, numero ad ſeptem millia [81]), valere iuſſiſſet, iam ad extremos terrae, verſus Balticum mare, fines appropinquans,

---

80) Kantzow ſec. vett. pag. 93.
81) Idem, 89.

in Caminum [82]) urbem iter direxit. In via autem, teſtante aliquo ſcriptore [83]), prae internae conſolationis dulcedine, totus quaſi corde liquit. Tanto, ob bene Pyriſſae res geſtas, affundebatur gaudio. Ibi autem tam fauſtum [84]) ſibi contigiſſe rerum eventum idcirco maxime laetatus eſt, quod ipſam hanc, quam primam inviſiſſet, Pomeraniae urbem caeteras iam ſuo exemplo ad fovendum evangelium proniores effecturam ſperaret.

Camini, per Heilae [85]) duciſſae, quae, Wratislao duci nupta, Saxonica ſtirpe gaudens, iampridem in Chriſti cognitionem pervenerat, ſancta officia, agrum invenit, ad evangelii ſemina excipienda, aliquatenus iam emollitum. Legatis, quos de Othonis Pyriſſae ſucceſſibus ſciſcitatum miſerat, iam de totius urbis converſione certior facta, princeps ovans [86]) ad-

---

82) „*Camina*" Anonym. Caniſ. II, 9. p. 63. quem ſecutus eſt Andr. Gretſ. qui et „*Gamin*" oppidum nuncupat II, 45. pag. 59. — *Stargardia* eum Caminum profectum, tacentibus hac de re veteribus, ſaltem Anonym. Caniſ. et Andr. Gretſ. ap. Sur., Cramerus narrat K. Ch. I, 29.

83) Apud Meillerum. pag. 120.

84) Ad ſeptem millia ibi ad veram religionem converſa, veteres ſecutus, (Cf. not. 81.) Schroeckhius quoque exhibet hiſt. eccl. vol. 25, pag. 226.

85) Cramer I, 31.

86) *Die da Got vom Himmel danckete, das alſo*

ventanti cum ſuis obviam ibat. Neque Otho ullo piiſſimae obſervantiae genere ab illa ſuperari ſe paſſus eſt [87]). Per integras ibi ſeptem hebdomades tam liberis, quam adultis catechizandis baptizandisque vacavit et tanta quidem animi corporisque contentione, ut ſaepius veſtes habuerit ſudore madentes [88]). Inter haec ipſe dux, qui, ob rempublicam curandam, Camino, ubi reſidebat, aliquamdiu abfuerat, reverſus, cum uxore ſingulari quodam modo in obſervando Othone certabat. „Nos ipſi, quum primum in epiſcopi amplexibus haereret, et omnia, ait, noſtra, tui ſumus, utere ſicut vis [89]).“ Clericos autem, Otho-

---

der heilige Chriſtentumb in das unglückſehelige lant kheme. Kantzow pag. 96.

87) *Und hat ſich S. Otto gar demütig gegen ſie gehalten; und hat ſich alleman ſeiner frommicheit halben und erbaren Weſens verwundert. Kantzow* eod. loc.

88) „Epiſcopum noſtrum, licet ſolos mares pueros tingeret, ſaepe numero ſudantem aſpeximus, adeo profecto, ut alba eius ab humeris usque ad umbilicum ante et retro ſudore manaret. Saepe etiam ipſius miniſterii nimietate, brevi ſeſſione vires recuperans, modicumque ſedendo reſpirans, quaſi animoſus operator et ſtrenuus, denuo ſe ſublevabat in idem opus ſibi dulciſſimum, gratias agens omnipotenti Deo, quod ipſius praeſtante clementia, tot manipulos in eius horrea cum ſudore ac laſſitudine ſua congereret.“ Andr. Gretſeri apud Surium II, 19. pag. 57.

89) Idem, loc. laud. pag. 58.

nem ſtipantes, ſingulorum manibus arreptis, oſculis eos impertiens, fratres appellabat, talibus ſe uti poſſe hoſpitibus ſincere laetatus. Ipſe quoque, licet iampridem, infans, captivus in Germaniam abductus, Merſeburgi baptizatus eſſet 90), cum domo ſua et tota aula palam peccatorum poenitentiam agens, Othonis imploravit benedictionem. Cuius primus hic fructus erat rei, ut e XXIV, quos, Slavico more, aluit, uxorum numero, apoſtoli, graviter obiurgantis, praecepto audiens, unam ſolam retineret Heilam. Quod domini exemplum popularium multi imitati ſunt. Tum Otho templum uni vero Deo in urbe ſacravit, cui, luculenter donato, poſtquam ſacerdotes deſignaſſet, navem conſcendit, qua Iulinum traiiceret. Sunt, qui vetus ethnicum templum, iampridem a duciſſa Chriſtiano cultui dicatum, in hunc eum uſum conſecraſſe contendant. Quos, credo, ipſa, qua, poſtero, ut narrabimus, tempore, ne ſimile quid Gutzegoviae fieret, prohibuit, ſapientiſſima cura optime refellet 91). Equis atque iumentis caeteroque, quem ſecum adduxerat, commeatui, naviganti

---

90) Narratur apud Meillerum pag. 155 et alias. Cuius narrationis auctor videtur. Andreas abb. (apud Gretſer. in Sur. III, 4.)

91) Cf. Anonym. Caniſ. III, 7. p. 78.

molesto, dux prospicere pollicitus est. Quod quidem promissum tanta implevisse narratur sinceritate, ut iumentum, quum Otho reversus esset, prae pinguedine loco aegre moveri potuerit. Iuvat ita crassum et subridiculum sane boni principis animi exemplum attulisse, caeterum fides apud auctores erit 92).

Iulinum 93), in eodem, ut videtur, loco positum erat, ubi nunc Wollinum oppidum aspicitur, multas et diras clades perpessum, veteris splendoris ne vestigia quidem servans. Tum urbs erat in insula, ad Viadrum posita, ubi, mari iam proximus, vastae latitudinis lacum efficit, magna pollensque, sed incolis gaudens, tam superbo animo, quam rara quadam barbarie insignitis. Quam urbem, quum episcopus cum sociis, quibus Camini Domizlaus quidam, cum filio, Iulino oriundi, accesserant, brevi adpulisset, (eos enim princeps, quum multum auctoritate apud cives pollerent, proficiscentes comitari iusserat) licet intrandi desiderio flagraret, lubenter tamen admonentibus illis, ut media demum nocte, minime civium

---

92) Bugenh. p. 90. A quo paulum in narrando discrepat Andreas Gretseri apud Sur. II, 20. pag. 52.

93) *Iulina* scribitur ab Andr. Grets. ap. Sur. p. 52. *Vilina* et *Villina* ab Anonym. Canis. pag. 65. De cuius urbis antiquitate, inter caeteros doctissimus conferendus est Hasselbachius in: *Sendschreiben* pag. 121. sqq.

ſuperbiam offendens, ducis arcem ingrederetur, conceſſit. Talem enim in quavis urbe dux arcem exſtructam habuit, quem quae excepiſſet, ei de omni barbarorum adortu ſecuro eſſe licuit. Poſtero autem mane, poſtquam, per noctis tenebras, ſalvos arcem ingreſſos immanes illi ſuperbi mercatores conſpexiſſent, iterum magnum exortum eſt et atrox ſpectaculum. Cives, veſano furore correpti, cruento agmine accurrere, clamitare, morti miſerrimos depoſcere, denique, lapidibus fuſtibusque porta disrupta, in cubicula irruere, ſpoliare, caedere, omnia metu atque terrore implere et confundere 94) Tum Paulicius, quo ſenem, at immotum hilaremque 95), protegeret apoſtolum, una cum caeteris ducum legatis, in furentem proſiliens plebem, dementiae eos admonuit. Quo quidem conatu id tandem effecit, ut ex moenibus abeundi copia iis concederetur. Sed abeuntibus: Apage, furentes acclamitabant, vos morum, patriae atque Deorum hoſtes! Iamque ad impetum faciendum procedentibus illis, Paulicius, prehenſa Othonis manu, per lutoſas impavidum urbis vias, huc illuc tantum cae-

---

94) Andr. Gretſ. apud Sur. II, 23. pag. 52.

95) „Tunc vero epiſcopus, nobis aliis trepidantibus, quibusdam etiam prae pavore lachrymantibus, *ſpiritu iucundo et hilari vultu* ſtabat" caet. Andr. Gretſer. apud Sur. II, 23. pag. 52.

ſis arboribus ſtratas, ad pontem usque, ſuper ſtagnum exſtructum, perduxerat, quum atrox e turba, quae incedentes ad pontem exſpectabat, barbarus quidam prorueret, tanto in apoſtoli humerum impetu phalangam vibrans, ut titubans ille in lutum prolapſus ſit. Super quem Paulicius, innumeros fuſtium ictus excipiens, quo ſeni parceretur, ſcuti inſtar, ſe incurvavit. Cuius caeteri aemuli, pro patroni ſalute nil manus conſerere cunctati, tandem ſublevatum Othonem trans pontem portabant. Hunc autem, quo rabitos perſequendo prohiberent, poſt ſe deiiciendum curarunt. Sed dum in lato denique trans aquam campo, oppidanorum horreis conſito, laſſi conſiderent, cenſum agentes ne unum quidem, mirabile dictu, tali concurſu amiſſum ſenſerunt. Tum epiſcopum, puto dum vulnera ei obligarentur, lutum et cruorem veſtibus excutientem: „Proh dolor, conqueſtum ferunt, bona ſpe caſſati ſumus [96]). Palma in manibus erat; vos eam (Deus vobis ignoſcat, filii et fratres!) extorſiſtis de manibus noſtris. Vix omnes ictus illi unius paſſioni ſufficerent. Sed, dum ad coronam proſiluiſtis, nec unum pervenire dimiſiſtis.“ Cui

96) Andr. Gretſeri apud Surium II, 24. pag. 58. — Bugenh. pag. 91. De toto caſu cf. Anonym. Caniſ. II, 14. pag. 65. ſq.

Paulicius: „ſatis, pater, accepiſti.“ At ille: „parum, quia voto minus.“ Erat autem triplici vulnere afflictus. Sed gratias egit Deo, quod tantillum pati dignatus ſit 97).

Iam per quinque fere dies ſic prope horrea commorati erant, quum ſupplices tandem eos adirent oppidani. Primorum erant nonnulli, iampridem foris baptizati, popularium iniuriam aegre ferentes. Quibus, uti conſueverat, Otho pro ſe pauca et amica reſpondit, caeterum, ut Chriſtum induerent, ſevere admonuit. Solo hoc modo duces quoque, adiecit, perfidiae iraſcentes, placari poſſe. Sed poſtquam, conſultum in urbem regreſſi, frequentes ibi ad conſilium capiendum conveniſſent, hoc iam electi viri epiſcopo nuncii retulerunt 98): ſe facturos, quicquid Sedinenſibus placuerit. Illam enim civitatem eſſe antiquiſſimam et nobiliſſimam in terra Pomeranorum matremque civitatum. Iniuſtum foret, ſi aliquam novae religionis obſervantiam admitterent, quae illius auctoritate non prius roborata fuiſſet.

Itaque *Sedinum* verſus apoſtoli iter inſtituerunt, licet, infecta re, mulcati Iulino abſcederent, tamen gloriantes, quod, ob Chriſti cauſſam, contumeliam pati meruiſſent. Paucorum tantum,

---

97) Bugenh. p. 91.

98) Anonymus atque Andreas locc. not. 96. laudd.

dum in horreis caſtra poſuerant, vel iam antea baptizatorum, vel baptismum implorantium urbis accolarum recreabantur converſatione. Neque omnino de Iulinenſium ſalute fuit deſperandum, quum unam et alteram tamen et ibi inveniſſent ſanctam atque ſinceram animam. Quas omnes unus viam praeibat, cui nomen Nedamiro 99), clam Bambergenſes eximio quodam amore colens. Is, cum filiis, Othonem, in maritimo ſuo Sedinum verſus itinere, dux et propugnator ſecutus eſt. Navi enim, Viadro, urbem advehi, et ob brevius, quod in fluvio emetiendum eſſet, ſpatium, praetuliſſe videntur, et quod barbarorum incurſibus ſic minus obnoxii forent. Caris igitur itineris moderatoribus, ne Sedinenſibus offenſui ſint timentibus, prope urbem dimiſſis, id quod alias eos iam facere vidimus, ſub divo noctem opperiebantur ingruentem, quo tacite tutam principis arcem intrarent. Mane autem Paulicius atque legati ſenatum adierunt, ut epiſcopum cum ſuis laute exciperent, cives, principum nomine, iubentes. Cui quidem mandato, etiamſi, nuperrima territi urbis expugnatione, verbis fortaſſe mox oppugnare deſtiterint, nihilominus tamen, nec legatis, neque ipſi, qui, per integros duos menſes, multas in dies fruſtra conciones haberet, Othoni re et

99) Anonymus Caniſii II, 15. pag. 66: „*Nedamerus*;“ — Iaſchii p. 310 „*Nedaverus.*“ —

facto umquam obſecuti ſunt. Nam, quos hucusque Chriſtianos conveniſſent, peſſimos fuiſſe dictitabant, caeteros vexandi, ſibi autem ipſis quicquid ſceleris indulgendi peritiſſimos, ſuperbos, ambitioſos, quo propoſitum aſſequerentur, ne ipſi quidem suae perſuaſioni parcentes. Talia ſe a Diis ſuis minime doctos eſſe. Cur igitur ſuperſtitioni cedendum, avita ſua mirum quantum deteriori [100])? — Quae, ſive vera fuerint, ſive praetextu uſi ſint Sedinenſes, tamen, illorum recordantibus nobis, qui, omni tempore, ſacroſancto ſervatoris nomine ad nefaria quaeque patranda miſere abuſi ſunt, priori loco poſitum veriſimilius, proh dolor! habendum eſt, quam vellemus. Etenim nulli umquam barbari tantis veram Chriſtianam religionem plagis affecerunt, quam ipſi ſimulati eius cultores! — Tamen Sedinenſes, ſi paria ſibi, ac caeteris Chriſtianis, a principibus iura concederentur, et illorum perſuaſioni, licet perverſiſſimae, ſe non amplius reluctaturos polliciti ſunt. Sed prius quam, ad quem tandem finem res perducta ſit, enarremus, paucis, quae prudens Otho ſapientiſſima iis reſponderit, exhibenda. Praeter Chriſtianam nullam omnino eſſe affirmabat doctrinam, quae funditus homines emendare valeret. Sed ſi a Chriſtianis quoque faci-

100) Kantzow vol. I. p. 102. cf. Andr. Gretſ. apud Sur. II, 25. pag. 53.

nora patrari viderent, reputent, non omnes, Chrifti nomen prae fe ferentes, et effe Chriftianos. Caeterum etiam vere Chriftianos infito in lapfam hominis naturam malo faepius plus, quam par fit, indulgere [101]).

Sed quum fermocinando iam nihil proficeret, neque fpes erat in pofterum proficiendi, tandem utrimque pactum eft, in Poloniam legatos mittere, tributorum remiffionem a duce imploraturos, qua fcilicet data Chriftianam fe fidem profeffuros dixerant cives et dictitabant. Quod certe non ita accipiendum erit, tamquam, hisce impetratis, Otho iam ad finem fibi vifus fuerit perveniffe. At e duobus malis minus eligendum duxit et quod fimul anfam praeberet verae in pofterum converfionis. Iuvat praeterea monere, quanta femper egregius vir follicitudine, ne principum opus fit et armorum interceffione, ftuduerit. Qua quamquam in horam uti poffet, tamen tum demum, quum docendo et perfuadendo nil reliquum effet, ad eam confugiffe apparet. Qua in re ducibus eum, utpote externis potiffimum rationibus ductis, fcilicet ut trucem populum, auftero, fibi femper oppugnantium, ethnicorum facerdotum imperio liberatum, mi-

---

101) Sunt *fere* verba Kantzovii vol. I. pag. 102. cf. Bugenhag. Pomer. II, 1. Helmold. I, 83, 8. Adam Brem. II, 31.

tiorem ſibique obtemperantiorem efficerent, non omnino placuiſſe ſumendum erit. Sedinenſium autem converſio, licet ad tempus tantum externa eſſet, eo magis epiſcopo cordi eſſe debuit, quo gravius ad illos Iulinenſes provocaſſent.

Cum legatis et Paulicius in Poloniam abierat, fidiſſimus ſenis miniſter et interpres. — Nihilominus ille, licet in mediis barbaris, coniunctiſſimi ſocii disceſſu, iam fere ſolus relictus, ſuique ipſius reſpectu habito, pro ſua humilitate, omni rem perficiendi ſpe deſtitutus, in Deum ſolum confiſus, omnipotentem impotentium adiutorem, omnis, dum illi reverterentur, morae impatiens, in foro, magna, certis praeſertim, quibus nundinae haberentur, diebus, mercatorum copia affluenti, hiſce atque innumeris aliis, et ruſticis undique accurrentibus, magnifico inſignis veſtitu, Sifrido ſocio crucem praeferente [102]), Chriſtum praedicavit cruci adfixum eumdemque unum verum Deum, et idololatras, ſi, humiles atque poenitentes, in eum confiſi, totos ei ſe dede-

102) De quo ipſe apud Andream Gretſeri (Surius de prob. ſctt. vitt. p. 53.) Tiemoni ſuo haec narrat: „Vellem nollem, per medios barbaros, per forum et turbam incredulorum, opprobrium crucis, animo et corpore tener agonotheta, coram epiſcopo portare videbar. Deus autem pius et miſericors ſciens timiditatem meam et pavorem meum, laedi me non ſinebat.“

rint, foras non eiecturum. Neque fefellit fiducia. Nam, dum hisce tradendis, licet unus et alter Sedinenses iam irreparabiles censendos putaret, indies novam vim indefatigatus adderet, messis iam Sedinensis primitiae, innumeros mox allecturae, praesto adstabant.

Quae quidem sic se habuit res. Duxerat sibi nobilis civis, cui nomen Dobislao, ita pollens, ut dux quoque ad eius se nutum conformasse narretur, claraque gaudens gente, per totam terram dispersa, Christianam uxorem [103]), e patria, dum ob pulchritudinem illam deamaret, vi raptam. Illa, marito absente, de fide sua et quam filios quoque illam profiteri in votis habeat, clam cum apostolo egisse videtur. Quod quoquo modo evenerit, pueros, postquam, tam suavibus illos colloquiis de „munditia et honestate Christianismi, de immortalite animarum, de resurrectione corporum, deque spe et gloria aeternae vitae [104])", quam donorum oblatione episcopus allexisset, mox, passim Christiana doctrina imbutos [105]), baptismum petitum ad illum rediisse constat. Nomina autem iis erant Tepizio

---

103) Kantzow, p. 104. Bugenh. 92.

104) Andr. Gretf. apud Sur. II, 26. p. 52.

105) „Quae omnia, flante spiritu sancto, pueri altius suis imbibere pectoribus." Andr. Gretf. apud Sur. pag. 53. inf.

et Boranti [106]. Quorum postquam desiderium explesset, paucos, ut penitius Christianae fidei initiarentur, apud se dies retentos, albis sericis insuperque deauratis indutos vestibus, liberaliter donatos, domum reduxit. Tum lachrymans mater, prae gaudio fere sui non compos, in haec prorupisse verba narratur [107]: „Benedico te, Domine Iesu Christe, omnis spei et consolationis auctor, quod filios meos, tuis sacramentis imbutos tuaeque fidei veritate aspicio illustratos. Scis enim, Domine, quod hos, in secreto pectoris mei, tuae miserationi per multos annos commendare non cessarim, petens, ut hos eos faceres, quos fecisti!" Et ad Othonem conversa: „benedictus, inquit, introitus tuus in hanc civitatem, reverendissime pater. Multum enim populum, tua perseverantia, Domino hic habes acquirere. Non te dilatio fatiget. En ego ipsa, quae coram te adsto, Dei omnipotentis adiutorio et tui, pater, animatus, praesentia, sed et pignorum meorum freta subsidio, Christianam me confiteor, quod hactenus non audebam." — Et constitit in sententia. Nam et ipsa multis verbum praedicavit, non solum domesticis, sed et vicinis et familiaribus suis, viris et feminis, annuncians

---

106) Kantzow p. 104.

107) Andr. Gretf. apud Sur. II, 27. p. 54.

in Iesu resurrectionem e mortuis [108]), et ab illa rogatus, quos ipsa ei numerosos adduxerat, episcopus, brevi, omnes baptizavit.

Nec in pueris frustrata est spes. Nam quum ipsi, primum munerum fortasse eius splendore allecti, Othonem frequentassent, pro caducis his, aeterna sibi bona, non tineis, neque rubigini obnoxia acquirere edocti, mox cum aequalibus et seniores ad eum perduxerunt, boni, quem pueri laudibus extollerent, viri videndi sollicitos [109]). Plerosque et avaritia, quo similibus, ac pueri, ab eo deliciis donarentur, advocarit. Sed quaenam fuerint adeundi rationes, qui visuri Othonem venissent, alium ab hac, ab illa alium parte prehensos discessisse constat, ut brevi omnis Sedinensium urbs Christo nomina dederit. Accessit quod, qui ipsi modo ab episcopo instructi essent, dimissi, prae sancto quodam ardore, vel insita hominibus nova cum caeteris communicandi cupidine, quominus modo audita et accepta aliis, vel monstrarent, vel edocerent illos sibi temperare non potuerunt. „Cernite, iactitabant, his indumentis, post omnia beneficia sua, nos induit, his aureis cingulis honoravit. Pecunia sua captivos redimit, suis impensis eosdem ve-

108) Narratur apud Meillerum p. 131.

109) „More columbarum alias trahentium.“ Andr. Gretf. ap. Sur. p. 54.

ſtit, cibo reficit et liberos abire permittit. Quid umquam ſimile viſum auditumve eſt in terra Pomeranorum? Quid ſimile noſtri ſacerdotes et pontifices faciunt? Hunc certe aliquem viſibilem Deum inter homines adveniſſe ipſa gratuita redemptio captivorum, in cippis et compedibus putrefactorum, multos cives noſtros fecerat autumare. Sed ille, hoc negans, non Deum ſe, ſed Dei altiſſimi ſervum, pro noſtra ſalute ad nos emiſſum, dici et credi optat et animae immortalitatem, et corporum reſurrectionem, et aeternae vitae gloriam doctrinam dicit eſſe Chriſtianorum. Quare non credatur ei?“ 110) Quae ſecus ſane verba ſonant, ac paulo ante, quum legati in Poloniam mitterentur, eosdem pronunciare audivimus Sedinenſes. Tanta exempli vis! —

Inter haec, ad quae conſequenda profecti erant, ſcilicet ut populares, tributi remiſſione emolliti, facilius Chriſtianos ſe fieri paterentur, iisdem iam, penitiori modo, per unum Othonem patratis, legati reverſi ſunt e Polonia. Quorum, ſi ducalis epiſtolae contenta breviter reddere liceat, is fere nuncius erat: Ducem, niſi intercedente pro illis epiſcopo, nullo umquam modo cum perfidis, qui Chriſto adverſarentur, foe-

110) Andr. Gretſ. apud Sur. II, 28. p. 54. Anonym. Caniſ. II, 18. p. 68.

dus pacturum fuisse. Tamen, certis conditionibus, nunc, tributum se iis imminuturum polliceri; modo, ut, inter caetera, et belligeranti sibi auxilia mitterent. Quibus auditis et caeteri, qui, licet totam conversam viderent rempublicam, duriori cervice, ad hoc usque tempus, infracti restiterant, maximam partem, baptizari se passi sunt. Ipse quoque redux factus Dobislaus, licet, primo de totius domus suae conversionis nuncio accepto, incredibili in uxorem et episcopum ira exarsisset, mox, sive apostoli immortali Deo precibus largiente, sive ducis ille exemplo et mandato permotus fuerit, veniam peccatorum supplex rogavit, se, quo temporis uxorem e Saxonum terris raptam abduxerit, iam baptizatum, sed mox defectum, nullum inde fructum retinuisse professus.

Tum apostolus, iam penitissima sua vota contra omnium exspectationem mire expleta videns, totus gaudio perfusus, in foro, dum: „nunc, exclamaret, ad nostri sermonis officium ventum est!“ pulpitum conscendens, sic verba fecisse dicitur [111]): „Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete. Modestia vestra, fides et conversatio vestra nota sit omnibus. Nam totus mundus pro vestra doluit infidelitate. Totus enim mundus [?], fratres carissi-

111) Anonym. Canis. II, 19. pag. 69. Andr. Grets. apud Sur. II, 29. pag. 54 — Bugenh. 93.

mi, usque ad hunc terrae angulum, lumen veritatis agnoſcit et vos in tenebris manere voluiſtis? Pudeat et poeniteat vos creatorem veſtrum hactenus non agnoviſſe. Nunc ergo tanto devotius, quanto ſerius ad ipſum convertimini, currite, feſtinate, ut eos, qui vos in fide praeceſſerunt, conſequamini, hoc agere ſolliciti, ut, qui de veſtra caecitate pie doluerunt, de veſtra illuminatione poſſint in Chriſto gloriari. Et primo ipſis deceptoribus diis veſtris, ſurdis et mutis ſculptilibus, et immundis ſpiritibus, qui in iis ſunt, ſigno crucis armati, quantocius renunciate, fana diruite, ſimulacra conterite, ut, hoſtibus eius eiectis, a vobis Dominus Deus noſter, Deus vivus et verus, in medio veſtri habitare dignetur. Niſi enim omnes alios abiiciatis, ipſum habere propitium non poteſtis. Fugit enim et indignum ſibi reputat aliorum conſortium Deorum et nulla communicatio eius cum idolis. Sed ſcio, quia nondum ſatis confiditis; ſcio, quod timetis daemones inhabitatores fanorum ac ſculptilium veſtrorum et idcirco non audetis ea comminuere; ſed pace veſtra ſit, ut ego ipſe, cum fratribus meis ſacerdotibus et clericis, ſimulacra et continas [112]) illas aggrediar et ſi nos,

88) Sic vernaculo, ut videtur, Pomerani verbo, ſacra loca, idolorum cultui deſtinata, appellare conſueverant. cf. *Mone Geſchichte des Heidenthums im nördlichen*

crucis ſanctae ſignaculo praemunitos, illaeſos permanere videritis, eodem crucis muniti trophaeo, vos omnes nobiscum, ſecuri et aſcia excifis ianuis et parietibus, deiicite illas et incendite!" — Dictum factum. — Nam ſancta celebrata coena epiſcopus cum ſuis, fortiter ſanctuaria aggreſſus, brevi tota comminuit [113]). Quumque nihil a Diis impeditos mirantes pagani vidiſſent, vel ipſi manus admoverunt ad ſacra ſua ſpolianda, neque Dii, clamitantes, noſtri ſe iuvare poſſunt [114])! Et deſtructis fanis, — iam veteri ſcriptori [115]) verbum concedere liceat, — et colliſis ſimulacris tuba inſonat evangelii, cruces eriguntur, crucifixus adoratur, omnis aetas, omnis lingua Chriſtum nominat, Chriſtum ruminat, verbaque fidei aut diſcunt omnes, aut docent, conſtruuntur baptiſteria, dolia humo infodiuntur. Quibus ſancte aptatis populus ad regenerationis aquam, multa cum gravitate ac disciplina, ſe offerebat. Quos apoſtolus tacite conſiderans,

---

Europa. Leipzig 1822 Vol. I, pag. 177. — *Haſſelbach Sendſchreiben* pag. 48. „Sive potare, ſive ludere, ſive ſeria ſua tractare vellent, in easdem aedes certis diebus conveniebant et horis." Andr. Gretſ. ap. Sur. II, 31. pag. 55.

113) Andr. Gretſer. apud Sur. II, 29. 30. pag. 55.

114) Bugenh. pag. 93.

115) Andr. Gretſ. apud Sur. II, 33. pag. 55.

abundantia laetitiae animum excitante obortisque prae gaudio lachrymis, in vocem exhortationis erupit dicens: „Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos. Accedite et illuminamini et facies vestrae non confundentur!"

Sic evenerat, ut, vel intra unius diei spatium, quatuor [116]) urbis fana solo aequarentur. Quibus quanti et quam splendidi omnis generis infuerint thesauri [117]) sat extollere scriptores fere verbis deficiunt. Otho autem, quum sibi a conversis dono deferrentur, ne tangere quidem ausus, postquam lustrasset, ipsos inter se dividere iussit [118]). Tam sedulo studebat, ne avaritia ductus, sui ipsius caussa quid egisse videretur. Etenim sat doctus erat providus homo, apostolo et levissimam rem, si vel speciem maculae habeat, ne evangelio detrimento fiat, longe fugiendam esse. In qua quidem continentia tam, quam in omni apostolatu, sollers divi Pauli aemulus exstitit, in hoc solummodo illi dispar, quod, quae Paulus, ne fratribus molestus fieret, ipse sibi, manuum opera, in dies parare coactus

---

116) Andr. Gretſ. apud Sur. II, 31. pag. 55. *Mone, Geschichte des Heidenth. im nördl. Europa.* Vol. I. p. 177.

117) Idem loc. laud. *Hasselbach, Sendschreiben* p. 97. cf. pag. 95 et 96.

118) Andr. Gretſ. apud Sur. II, 33. pag. 55 et cap. 35 pag. 56. cf. Deuteron 7, 25. 13, 17.

fuerit, vitae sustentacula, noster, dives, largo commeatu secum ducens, nedum a catechumenis aliquid sibi praeberi passus sit, vel cum ipsis communicaret.

Sed de templis narrantibus iam cultus, quem veteres Diis exhiberent Pomerani, quinam fuerit, paucis elucidandus videtur [119]). Slavis igitur, quibus, prout iam attulimus [120]), et Pomerani accensendi, millena erant idola, alborum atque nigrorum nominibus insignita [121]), Helmoldo teste [122]) duobus, tribus, vel pluribus capitibus ornata. Agros idem narrat silvasque, tristes res atque laetas, Deos sibi

---

119) Cf. *Steinbrück vom Götzendienst in Pommern und Rügen u. s. w. Stettin* 1792. Mone, Vol. 1. pag. 172—213.

120) Cf. supra pag. 71. not. 50.

121) *Belbog, — Zernebog. „Aeltre Schriftsteller haben schon den Slavischen Dualismus mit dem Persischen verglichen.“* Mone Vol. I, pag. 109. cf. *Hasselbach, Sendschr.* pag. 79. sqq.

122) Et sunt quidem haec ipsa *Helmoldi* verba, in chronic. Slav. I, 83. §. 3. 4: „Multos [scil. Deos] et duobus, vel tribus, vel eo amplius capitibus exsculpunt. Inter multiformia vero Deorum numina, quibus arva, silvas, tristitias atque voluptates attribuunt, non diffitentes unum Deum in caelis caeteris imperitantem. Illum praepotentem caelestia tantum curare, hos vero distributis officiis obsequentes de sanguine eius processisse et unumquemque eo praestantiorem, quo proximiorem illi Deo Deorum.“

finxerant, fed in multitudine horum unum [123]) tamen in caelo Deum agnofcebant, caeteris imperitantem. Praepotens ille erat et tantum caeleftia curans, quum reliquorum cuique, ab illo ftirpem ducenti, certa quaedam fua negotia effent. Sed eo nobiliores habebantur, quo Deorum Deo magis affines erant. E quibus fane numerofis Diis alii totam vel terram vel provinciam curabant, fingulas tantum urbes alii. Sic Triglav Sedinenfium tutelaris erat Deus et Iulinenfium, eximio cultu gaudens et magna fervorum caterva. (12) Quibus plurimis facerdotibus fummus quidam praeerat pontifex, Sedini fedem habens, et quidem ita auctoritate pollens [124]), ut, ad illum praefertim terribili vi fua, qua femper ad motus excitandos in populares abuteretur, penitus exuendum, Pomeraniae et Poloniae principes gentem Chriftianam fieri tam ftrenue cupiviffe videantur *). De publico, quem, quum in templa conveniffent, Diis exhiberent cultu, hoc tantum monemus, ut maximam temporis partem oraculis vacarint, quibus equi infervirunt. Quos quidem vaticinantes

---

123) *Bog. Sonnenmann. Lichtgott, mit dem Nebenbegriff der Heiligkeit. Alle Anzeigen ftimmen damit überein, dafs Swantewit zu Arkona jener Eine grofse Gott gewefen.* Mone Vol. I, pag. 198.

124 Cf. *Haffelbach*, *Sendfchr.* pag. 102.

*) Cf. Anonym. Canif. II, 1. pag. 55.

equos, Diis ſacros, tam eximia cura colebant, ut Othoni, quum Sedinenſium illum equum, ne converſis in ſuperſtitionem relabendi occaſioni fieret, ex urbe dimittere vellet, factu difficillimum fuerit. Caeterum, ſi in univerſum de Slavis ſumendum erit, Pomeraniam vel accolentibus, vel incolentibus, de Rugiis [125]) conſtat, eos a captivorum ſacrificiis non abhorruiſſe. Chriſtianorum autem ſanguinem praecipue a Diis acceptum iri omnibus perſuaſioni erat. Quos exquiſita quadam crudelitate necare, terribile eos, quod contra illos foverent, odium adegit. Nam, inter plura, Helmoldus [126]) captos Chriſtianos, fide illorum ludibrio habita, cruci adfixos, vel ventre ſecato, miſere tortos narrat. Quas ſane diriſſimas res penitus nihili habens, quanta optimus Otho et Rugios convertendi cupidine flagrabat [127])! — Hactenus, quantum locus et propoſitum conceſſerunt, de Pomeranorum Diis et quo cultu honorati ſint, in univerſum.

Triglavum Sedinenſem, cuius, ad labia usque, caput aurea mitra obtectum erat [128]) et

---

125) *Verani et Rutheni* apud veteres ſcriptores nuncupantur. cf. locc. ſub 127) laudd.

126) I, 52. 16. 22. 23. II, 12. cf. I, 83, 6. cf. *Haſſelbach*, *Sendſchr.* pag. 73.

127) Anonym. Caniſ. III, 10. 81. Andr. Gretſer. apud Sur. III, 30. pag. 69.

128) „Quod peccata hominum quaſi non videns

alias pretiosum, e templo, quo in medio foro gaudebat, ablatum, Otho Romam misit, papae, tamquam conversae Pomeraniae trophaeum, deferendum. Iulinensem astuti illius sacerdotes, ut scriptoribus placet, in vico Triglavo, prope Gryphenbergam oppidum, qui, nunc quoque nomen retinens, idolo sacer fuisse videtur, tanta absconderant cura [129]), ut Bambergensibus nihil de eo investigandum fuerit, praeter sellam, templi parieti adhaerentem [130]). Episcopus autem, quum idolum deauratum esset, avaritiae suspicionem veritus, iureiurando adactis suis, ut repertum confrangerent, a quaerendo abstitit [131]). Caeterum auro, ex quo confectum erat, ad Christianam rem promovendam uti commendavit. Sedinensium continarum uni grandis quoque sacra nucea arbor adstabat [132]), cuius ad radicem dulcis oriretur fons. Quibus et custodes positi erant, ex oblatis, ut videtur, sacrificiis victum sibi parantes [133]). Quorum Otho intercessionem, maxime sedulam, parum

---

et tacens dissimularet." Andr. Gretf. ap. Sur. III, 1. pag. 60. cf. *Hasselbach*, *Sendschr.* pag. 90.

129) Kantzow. I. pag. 107. Bugenh. 95.

130) Mone, loco iam saepius laudato. *Ephippium* fuisse Hasselbachius probavit *Sendschr.* pag. 99.

131) Kantzow pag. 111.

132) Andreas Iaschii III, 15. Andr. Gretf. ap. Sur. quercum nuncupat II, 31. pag. 55. Cf. not. 135.

133) Mone. cf. *Hasselbach*, *Sendschr.* pag. 101.

curans, licet primo civium precibus, ut ob ſuavem iis umbram arbor relinqueretur, amice conceſſiſſet, quum divino nihilominus et in poſterum cultu eam fovere continuarent, ipſe fruſtrato idcirco cuiusdam plebeii adortu morti petitus, „quia nec augurium nec ſortilegium Chriſtianis exercere liceret," iterum caedi iuſſit [134]). Sed, etiam pro percuſſore, ne puniretur deprecatus, efflagitantibus quoque illis denuo incolumem arborem largitus videtur [135]). Ita, ſalvo modo Chriſti ſui honore, in ſummis minimisque, omnibus omnia eſſe amabat!

At pro dirutis idolorum nova exſtrui curabat Chriſti templa; in foro [136]), ubi Triglavi contina fuerat, unum, — Sto Adalberto, Boruſſorum quondam apoſtolo, crudeliter ab iis occiſo [137]), nunc quidem Sto Iacobo ſacrum, — alterum extra moenia, divis Paulo et Petro apoſtolis dicatum, nunc quoque temporis, ſed iam intra muros, vallo proximum ſpectandum. (13)

Sic breviori, annuente propitio Deo, quam ulli in mentem venerat, temporis ſpatio, con-

---

134) Andr. Gretſ. apud Sur. III, 21. pag. 67.

135) Sic eadem illa ſcriptorum, de *duabus* (quercu et nuce) arboribus, optime *uni ſoli* vindicanda videtur narratio. Cf. not. 132.

136) Andr. Gretſ. ap. Sur. II, 35. pag. 56. III, 1. pag. 60.

137) De quo, inter caeteros, et Schróeckhius cf. in hiſt. eccl. vol. 21. pag. 499.

tigit, ut, in quibus paulo ante ſplendidae idolorum pompae habitae eſſent, in iisdem iam urbis plateis viatorem humilis crux, ad ſuas ſub ea ſarcinas deponendas invitaret! —

Ille autem egregius vir, per quem fere unum miranda haec rerum mutatio evenerat, per integros tres menſes Sedini commorandi [138]) conſilium cepit. Sed, tot peractis laboribus, ne per hos quidem Sedinenſi otio penitus indulſiſſe videtur. Nam, ſub ipſum hunc, quo advenerat, annum cIↃcxxIV exeuntem, *Graditio* atque *Lubino* [139]) caſtellis, prope Sedinum ad Viadrum ſitis, Chriſto vindicatis et templis ibi exſtructis, ab ipſis invitatus civibus, *Iulinum* rurſus inviſit. Quam urbem, ſive principum metu factum ſit, ſive, quia Sedini, quod ſuſpicere promiſerant, egregie ab epiſcopo res geſtas, vel audiviſſent vel oculis vidiſſent [140]) Iulinenſes, iam totam commutatam inveniens et Chriſtianae fidei propenſiſſimam, diri antea a civibus ſibi illatae iniuriae minime recordatus, eximium percepit gaudium. Quod quale attigerit culmen, quum, inter caeteros, ipſe, a quo, paucos ante menſes, tam

138) Andr. Gretſer. apud Sur. II, 35. pag. 56.

139) „Hiems quippe erat" Andr. Gretſ. apud Sur. II, 36. „*Gartz und Lubbezin.*" *Cramer* pag. 40.

140) Quam cauſſam ſcriptores innuunt. e. g. Andr. Gretſer. apud Sur. II, 36. pag. 56.

misere mulcatus abierat, durus homo, veniam peccatorum petens, humiliter, baptizandus eum conveniret! Cui, hisce eum verbis: „Deus dabat, ne te occiderem!" alloquenti, Bogdai nomen indidit. Slavice enim verba sonant: *Bog dal* ize cien nie zabil [141]).

Tum quoque, cum duce consilio habito, quo et rebellanti ethnico summo pontifici eo fortius resisteretur, et tam ipsi Christiani sacerdotes, quam Pomeranorum populus strenuiori continerentur disciplina, episcopatum Pomeranicum constituit, cuius sedem Iulini esse voluit. Erat enim urbs in terrae meditullio posita. Sed episcopi designandi provinciam Polonico duci detulisse fertur, Adalbertum eligenti, unum ex Othonis sociis, ab ipso illi concessis [142]). Is tamen, — circa annum, ut perhibent, cIↃcxl ab Innocentio II. papa, confirmatus, — Othonis reverentia ductus, illo vivo, titulo et nomine episcopi omnino abstinuisse dicitur [143]). Postea temporis, crebris Daniae regum incursibus obnoxia urbe, denique misere diruta, Iulino Caminum translatus est episcopatus [144]).

---

141) Eam gentem, ad sua usque tempora, Wollini floruisse Kantzovius affert Vol. 1, pag. 110. Rem, praeter illum, et Bugenhagius narrat.

142) Andr. Gretser. apud Sur. II, 40. pag. 58.

143) Inter caeteros apud Meillerum, pag. 139.

144) Andr. Gretf. apud Sur. II, 36. pag. 57. cf. Ca-

Poſtquam ſic, iam altera vice, per duos menſes, „loquendo et clamando in turba, baptizando et multa faciendo multumque ſudoris et laboris perferens [145]", Iulini commoratus fuiſſet, *Daberae* quoque, tum, ut videtur, Dodonae nomine inſignitae [146]), *Colober-*

talogus epiſcoporum Camminenſium caet. in calce Epitomes annalium Pomeraniae Valent. ab Eickſtet, ed. Balthaſar, Gryphiſw. 1728. pag. 121. — Schroeckh. K. G. S. XXV, pag. 245. *Haſſelb. Sendſchr.* pag. 121 ſqq. p. 151.

145) Sunt verba Andreae Gretſer. apud Sur. II, 36. pag. 57.

146) Et *Dodoma* (Andr. Gretſ. apud Sur. II, 37. pag. 57. in marg.), *Clonoda* et *Clodona* (Anonym. Caniſ. II, 26. pag. 72) atque *Clodina* (apud eundem p. 73. ſupr. in epigr. cap. 27.) ſcripta reperitur. Quarum tamen variantium lectionum una et altera ſtili alicuius ſcribae errori originem debere videtur. Sed quaenam illa urbs fuerit haud ſatis conſtat. Caeterum quam addubitanda ſit Meilleri coniectura — (pag. 139. in marg. parum expertum habemus, num ipſe fecerit, an alio cuidam acceptam referendam habeat) — hoc nomine *Damum* oppidum (*Damm*) prope Sedinum ſignificari, quod et *Vadam* a veteribus nuncupatum legitur, iam ex ordine iudicandum eſt, quo apud ſcriptores poſitum invenitur. Nam *Iulino* demum *Dodonam* profectus Otho narratur, quum tamen nullibi tum temporis, eum Sedini, Damo oppido finitima urbe, fuiſſe legamus. Tum inter *Colobergam*, quam ſimul nominant ſcriptores, *Damumque* ſpatium intercedit circiter XIV. milliarium, quum, e contrario, dum *Dabera* in meditullio horum oppidorum *Dami*que poſita ſit, *Colobcrga* et *Belgardia* ſibi invicem finitimae appareant.

gae [147]), ubi S. Mariae templum dicavit [148]) et *Belgardiae*, Pomeraniae ulterioris urbibus,

---

Sed *Dami*, licet, — quod, quum maioris aliquando momenti urbs fuisse ab historicis (Kantzovio e. g. et Cramero libb. prioribb.) affirmetur, sane mirandum, — nulla eius apud Othonianos scriptores mentio occurrat, — (Andr. apud Sur. II, 38. pag. 57 in quatuor civitatibus, quae, quum Otho prima vice Pomerania decederet, „cum pagis, insulis et viculis suis" inconversae supererant, tantum *Noirniam* (*Usedom*)? nominat, *Hologastum*, *Gozgangiam* et *Timinam* (*Wolgast*, *Gützkow* et *Demmin*). Unde fere apparere videtur scriptores Damum oppidum, tamquam talem *pagum* vel *viculum*, maiori *Sedino* adnumerasse.) — illum, dum *Sedini* esset, praedicavisse facile sumendum erit. Facile et *Damenses* inter eos numerandi sunt, qui, dum *Sedini* praedicaret, illius urbis accolae, undique maximo numero affluebant. Nam ad primum a *Sedino* milliarium situm est *Damum*. — Sed quo faciliorem aliis, nobis doctioribus, huius loci vere investigandi occasionem praebeamus, totum iam veteris scriptoris capitulum, quod de fabulosa illa *Dodona* perscripsit, apponimus. Quod, quum, tum de Othone iucunda quaedam afferat, tum simul veterum eius rerum scriptorum narrandi rationis aliquod specimen exhibeat, eo facilius nobis permissum iri confidimus. Legitur autem locus apud Anonym. Canis. II, 26. pag. 72 atque apud Andream Gretser, unde deprompsimus, in Surii edit. II. 37. pag. 57: „Moventes autem Iulina *Dodonam* venimus, nihilque difficultatis aut contradictionis illic invenientes, sanctae crucis trophaeum ibi ereximus. Et quia *locus nemorosus* erat *et amoenus*, et ligna ad aedificandum suppetebant,

147) Quod tum *Colobrega* audivisse videtur.

148) Andr. Gretf. ap. Sur. II, 45.

faustis eum successibus usus, evangelium praedicasse memoriae proditum est. Qua in urbe, posteriori loco nominata, hac vice convertendi finem constituisse videtur, iamiam, licet ipse tanto vineae suae amore flagraret, ut omnino se ibi remanere posse ei in votis fuerit [149]), ob politicos simul et ecclesiasticos motus [150]), a suis domum revocatus. Sed prius

---

in honorem sanctae crucis ingentem ecclesiam de nobili artificio fundavimus, et cum laetitia et gaudio populum catechizantes et baptizantes, quia messis multa erat, ad ulteriora progredi festinavimus. *Transito autem flumine, quod Dodonam praeterlabitur*, civitatem quandam invenimus, [*Quaenam illa civitas?*] magnam quidem ambitu et spatiosam, sed raros incolas: nam ferro et incendio se vastatam adustionum signis et cadaverum acervis, spectantibus indicabat. Ipsi autem incolae tenues illorum se fuisse clientulos, qui a duce Poloniae illic interfecti erant et captivati, afferebant, et a facie gladii salvatos se fugae praedio. Fecerant autem ex ramis et virgultis circa ruinam parietum tuguria et umbracula, quibus tegebantur, quousque tecta meliora instaurarent. Hos Pater optimus verbis consolans et stipe relevans benignissime instruxit et baptizavit. Multi etiam de viculis circumpositis ruricolae illic confluentes fidei percepere sacramenta."

149) Anonym. Canis. II, 27, p. 73. cf. Andr. Grets. ap. Sur. II, 39. — „Sed, — adiicit scriptor, — a clericis dissuasus est."

150) Cf. epistola Wigandi abbatis ad Othonem, apud Andr. Grets. Sur. II, 43. pag. 58, unde Meillerus eam deprompsisse videtur pag. 143. et Cramer I, 42 sqq.

quam, ſub feſtos paſchatis dies anni cIↄcxxv, poſt integri anni in Pomerania commorationem, totus iam terra decederet, iterum ſingulas, quibus Chriſtum ante oculos depinxerat, pleraſque urbes, „vetera reparans, et nova aedificans,“ inviſit [151]); quod tam egregie apud omnes res ſe haberent, vehementer laetatus. Nec ita pauci, in hoc quoque itinere, profitentium numero, per baptismum, additi ſunt. —

Et haec fere erant, — quae, quo uno melius obtuitu percipiantur, e Baronio collecta apponimus, — praecipua, quae ſervanda catechumenis relinqueret, praecepta [152]): Ut fidem inviolatam ſervent; dominica die vacent ab omni opere malo et ad eccleſiam, divinum officium audituri, veniant, ibique orationibus

---

151) „Nullam autem civitatem, aut locum plantationis ſuae relinquere voluit, quam non ſemel aut ſaepius ante exitum e terra, *confortationis* et *conſolationis cauſa* reviſeret. Talibus ergo viſitationibus regione peragrata, conſolando, confirmando atque ſalutando amicos, patrinos et filios noſtros, in pacis oſculo dimiſimus eos et dimiſſi ſumus, lachrymis divulſionis dolorem utrimque temperantes. Multoties etiam toto conamine nos iugiter apud ſe retinere moliti, dominum meum, ut epiſcopatum ibi gubernaret ardentiſſime rogabant, ſe, ipſos et omnia ſua illius ditioni ſervire pollicentes.“ Andr. Gretſ. ap. Sur. II, 39. p. 57.

152) Baronius in annalibus, ad annum cIↄcxxiv. Ap. Meillerum p. 141.

ſtudioſe inſiſtant; infantes quoque celebrationi divini officii intereſſe ſatagant; ne filias, poſt partum, enecent; ne filios ſuos et filias ipſi ad baptismum teneant, ſed ſibi patrinos quaerant; patrinis etiam fidem et amicitiam, ut carnalibus parentibus, ſervent; nullus commatrem ſuam ducat in uxorem, neque propriam cognatam ſuam, usque in ſextam et ſeptimam generationem, et unusquisque contentus ſit una uxore; ne ſepeliant mortuos Chriſtianos inter paganos, in ſilvis, aut in campis, ſed in coemeteriis, ſicut mos ſit omnium Chriſtianorum; ne fuſtes ad ſepulchra eorum ponant [153]) et omnem victum et pravitatem paganorum abiiciant; ne domus idolorum conſtruant, pythoniſſas adeant et ſortilegi ſint; ne communicent paganis; ne cibum aut potum cum iis, aut in vasculis eorum ſumant; dum ſani ſint, veniant ad ſacerdotes eccleſiae, ut confiteantur peccata ſua et corpus Domini accipiant; de periuriis, adulteriis, homicidiis et caeteris criminationibus poenitentiam agant et in omni Chriſtiana religione et obſervatione obedientes ſint; mulieres denique, poſt partum, ad eccleſiam veniant et benedictionem a ſacerdote accipiant. —

---

153) Cf. *Haſſelbach, Sendſchr.* p. 61.

Tum, ut ſperabat, ſat, incredibilibus ſuis laboribus, in tuto collocatis omnibus, celeri per Poloniam et Bohemiam itinere inſtituto, domum reverſus eſt, in ipſis paſchatis anni cIↄcxxv ſolemnibus, a ſuis, qui, paſchalem hymnum: „veniſti deſiderabilis!" decantantes, obviam iverant, „uti ſolet eſſe in caris mortuis reſuſcitatis [154]," laete exceptus. Sed vixdum fere innumeris ibi pie a ſe inſtitutis curandis totum rurſus ſe dederat, quum novi iam, ut alteri in Pomeraniam itineri ſe accingere feſtinaret, flagitantes, e Polonia nuncii allati ſunt. Nam brevi poſt eius e provincia diſceſſum, praepotentes idolorum ſacerdotes, Chriſtianae ſuperſtitioni, quum praeſertim largis eos reditibus [155] ſuis orbaret, implacabile iraſcentes, dirum in Chriſtianos tumultum conſciverant. Caeteris autem Iulinenſes Triglavi et Sedinenſes dominabantur miniſtri, quos ad ſeditionem facem praeferentes truces anteſignanos mox inſecuti ſunt reliqui.

---

154) Andr. Gretſer. ap. Sur. II, 45. p. 60.

155) Sacrificia, quae, (antea) copioſo apparatu et divitiis, ſacerdotibus faniſque idolorum exhibita fuerant, nunc eccleſiae Chriſti vindicabantur. Unde commoti ſacerdotes et *prioris pompae delicias quotidie ſibi decreſcere videntes,* occaſionem quaerebant, ut populum ad idololatriam, *quaeſtus ſui gratia*, revocarent." Sic fere Andr. apud Sur. III, 1. pag. 60. Cf. *Haſſelb. Sendſchr.* pag. 102.

Hac autem rebellandi occasione usi videntur [156]). Nempe, dum Iulinenses, — licet Christo nomina dedissent, plurimis tamen passim, ut fieri solet, adhuc avitae superstitionis sordibus indulgentes, — vetere more, ignes circumfusi, ineunte aestate, magnum celebrarent convivium, nonnulli audaces viri, idolorum, quae sacerdotum iampridem nutu abscondissent, aliquot simulacris in medios convivas allatis, inebriatae plebi, illos tandem veros esse Deos, *Teutonicum* autem illum, quem Christianorum nuncupabant, fictitium esse persuadentes, ad novam credulos adduxerant religionem abiurandam. Diis sibi imperitantibus quovis bono et longe in universum meliori se gavisos porro gloriabantur conditione, qua denuo frui liceret, si novam subrepentem religionem, illa omnia praepedientem [157]), penitus excuterent. Quibus auditis, — nam ad omnis spei auram mobilis est vulgus [158]), — Adalbertum episcopum, cum Christianis sacerdotibus, illico urbe expulerant. Sed mox, igne, qui funditus urbem cremaret, e caelo demisso, facinoris, ut videtur, poenas luentes, demissioris animi facti

---

156) Bugenh. 98. Kantzow 114.

157) „*Den strengen ebenteurischen Christentumb.*“ Kantzow 114.

158) Livius XXIX, 3.

dicuntur [159]). Nihilominus Sedinenses, horum secuti exemplum, templo, ut videtur, quod Otho Sto Adalberto dicasset, demolito, et suos abegerant sacerdotes. Illis autem ab idolorum ministris, pestem vel famem tum temporis grassantem a Diis, Christianae superstitioni infensis, immissam, erat persuasum [160]).

Quo factum est, ut canus noster apostolus, quum, episcopali sua sede sub paschatis sancta gaudia anni cIↃcxxviii iterum relicta, post triennium terram adtingeret [161]), omnes fere gravium priorum suorum laborum fructus irritos aspiceret. Quem sane dirissimum casum, quum admirabilem virum tam aequabiliter tulisse, quam reparando damno ineffabili cura insudasse videamus, profecto dignissimus erit, qui ipsius iam Pauli lateri adiungatur, quin-

---

159) Kantzow 114.

160) De toto hoc facto, inter caeteros, conf. et Andr. Gretſ. ap. Sur. III, 1. p. 60. extr. — Anonymus de hoc Pomeranorum defectu nil attulit, apud Canisium III, 1. init. pag. 74. alias, ut videtur, secundae Othonis in Pomeraniam expeditionis caussas, his verbis sistens: „Post quadriennium, quamvis multis domi teneretur negotiis, ipse tamen, *amore novellae coloniae suae flagrans*, omnibus postpositis illam revisere aggreditur."

161) In altero hoc suo in Pomeraniam itinere, Docium quendam, Dietricum, Theodoricum, Stanislaum, *Udalricum*, (qui post expeditionem narravit) Albinum, Ioannem Presbyterum et Iuvanum socios habuisse perhibetur. De quibus, inter caeteros, conf. Cramerus I, 51.

etiam, ſi pro libamento offerretur ſuper ſacrificio et miniſterio fidei ſuorum, gaudenti [162]. Quod totum per Germaniam noviſſimum in Pomeraniam iter ſuum inſtituiſſe perhibetur, Halis Saxonum nave locata, e Sala flumine in Albim, dein, dum Havelbergam urbem praetervelieretur, in Havelam curſu directo. Huc prius quam perveniret Magdeburgi paulisper, quae quidem urbs tum temporis iam inſignis erat Saxoniae metropolis, apud Norbertum epiſcopum commoratus fertur. Sed, ſi hiſtoricis credendum, parum incluti illius Praemonſtratenſium ordinis auctoris conſortio delectatus videtur, quum is praeſertim — quia ipſe huic terrae finitimus eſſet, Bambergenſibus Pomeraniae convertendae honorem invidens, — Othonem de negotio deterrere conaretur [163]. Nihilominus ille, ubi de Chriſti ſui imperio promovendo ageretur, nullam omnino interceſſionem paſſus, quas iam Halis parari iuſſerat, onerarias naves, Magdeburgi novo omnis generis commeatu onuſtas, fluminibus in Pomeraniam inducere curabat. Sed hac vice a meridionali parte, ubi ad occidentem vergit, terram [164]

162) Ad Philipp. 2, 17.

163) Andr. Gretſ. ap. Sur. III, 3. p. 61. Quem ſecutus eſt Cramerus I, 50.

164) Hodie: *Neuvorpommern* (priori tempore *Schwediſch Pommern*) a Boruſſis provincia appellata eſt.

intrare propositum erat. Quas quidem regiones, quum in prima iam sua apud Pomeranos commoratione petere voluisset, eum tempus defecerat. Tum, Lothario II, post Henricum V, Germaniae imperante, Honorius II, papalem sedem tenuit.

Ad *Demminum* [165]) igitur, primum in his regionibns oppidum, quinquaginta curruum tractu,, appropinquans omnia reperit belli strepitu attonita atque vastata. Nam, sub idem tempus, accolentibus *Luticiis*, quos iam Christianae fidei conciliaturus noster accessit [166]), Venedorum populo, Wratis-

---

165) Apud veteres *Timina* (Andr. Gretf. apud Sur. III, 4. p. 61. In margine: *Daemmin, Damina, seu Demina*). Accenset Anonym. Canis. III, 2. p. 74., qui et *Thyminam* III, 10. et „*Eiminam*" vocat II, 27. Schroeckhius et *Timianam* scriptam reperit. Vide eius hist. eccl. vol. xxv. pag. 235.

166) „*Der Stamm der Wenden, welcher die Mark hinter der Elbe, einen grossen Theil Mecklenburgs und das Meiste vvn Pommern bis an die Oder besass, führt in den Fränkischen und Carolingischen Zeiten den allgemeinen Namen der Wilzen. In der folgenden Zeit heisst diess nemliche Volk bei den Sächs. Geschichtschreibern Liutizer, oder Leutizer.*" *Gerken Stiftshistorie von Brandenburg.* p. 9. Cf. *Hasselbach Sendschr.* p. 36. infr. sqq. Horum memoriam nunc quoque temporis oppidum refert, prope Demminum situm, cui nomen „*Loitz*", tum, sub Othonis adventum, ut scriptores perhibent, ab oppugnante Pomeranorum duce crematum. Cramer I, 52.

laus dux arma intulerat. Qui, Chriſtianae fidei maxime infenſi, ob eam potiſſimum, Chriſtianos terrae incolas vexaſſe dicuntur. Episcopus igitur, metuens, ut videtur, ne forte ab hoſte obſideretur, oppidum nondum ingredi auſus, per biduum, undique hoſtibus circumfuſus, in ſuburbiis conſtitit, usque dum a principe, quid ſibi faciendum, edoceretur. Qui, probans, quod iniiſſet, conſilium, mox ipſe, victor, cum magno comitatu apparuit.

Sic Bambergenſes, ipſo ducis exercitu tamquam ſalvo conductu uſi, *Uſedomum* pervenerunt [167]), a Chriſtianis, ut perhibent, ſacerdotibus Iulinenſibus, dum, per proximum triennium, abſens Otho Bambergae degeret, converſum. Ibi id temporis dux caſtra poſuerat. Sed dum hic, per aliquot dies, laſſis ſuis et epiſcopi ſatellitibus otio frui dux permitteret, ipſe epiſcopus nil antiquius habuit, quam ut, captivos, quorum ſortem miſeratus lachrymas tenere non potuit [168]), ſuis ſumptibus redemptos, Chriſtiana doctrina ad baptizandum inſtrueret. Ad quod, ut tam lapſi, quam illi,

---

167) *Unznoimia* (Schroeckhius „*oder Uznam*"), Anonym. III, 3. et *Uznoim* Andr. Sur. III, 4. pag. 6. apud veteres appellatum. — In Pani flumine Othonem principem Uſedomum ſecutum Cramerus narrat I, 52., Anonymum imitatus apud Caniſ. III, 2. p. 75.

168) Anonym. Caniſ. III, 2. pag. 75.

qui hucusque ſemper reſtiterant, et tota denique terra pronior fieret, dux optime ad rem facere arbitratus eſt, ſi comitia, in quibus res Chriſtianae peragerentur, Uſedomi habenda indiceret. Ad quae celebranda, quum victi Lutitiorum principes, Gutzegovienſis, Demminenſis, alii, conveniſſent, Othone et Iulinenſi epiſcopo Adalberto adſtantibus, ipſe dux verba feciſſe perhibetur [169]). In qua ſua oratione, prout ex ſervatis fragmentis, ſed, paſſim, ut videtur, corruptis [170]), divinare licet, hunc imprimis ſibi finem propoſuiſſe videtur, ut Othonem omnibus, qui antea apoſtoli inter Pome-

169) „Statimque [dux] generale principum regni ſui colloquium in eodem loco indixit, ubi convenientibus Timinenſis civitatis aliarumque urbium primoribus, (Anonym. Caniſ. III, 3. pag. 75. „Barones ac capitaneos totius provinciae ac praefectos civitatum" appellat.) ſapienter eos ad ſuſcipiendum Chriſtianae fidei iugum provocabat." Andr. Gretſer. apud Sur. III, 4. pag. 62. cf. *Haſſelbach Sendſchr.* pag. 108.

170) Ducis orationem Andreas Gretſeri ſiſtit apud Surium III, 5. pag. 62; ſed, quum nimis poetam ſapiat, neque, — Anon. Caniſ. III, 3. p. 75. et Iaſch. Andr. p. 328. (cf. Meill. p. 155.) aliam, ſed aeque ſuſpectae fidei ſuppeditantibus, — inter ſe conſentiant ſcriptores, nos, tam in hac ducis orationis epitome, quam in omni concinnanda Uſedomenſium comitiorum hiſtoria, fere Kantzovium (p. 117 ſqq.) ſecuti ſumus, nativa quadam ſimpliciſſimi candoris venuſtate, haud contemnendam fidem prae ſe ferentem.

ranos exſtiterint, potiorem eumdemque, tam aetate, quam doctrina venerabilem commendaret. Quem ſi ducem ſequerentur, fieri non poſſe, quin temporalibus aeternisque bonis abundarent, ſin idola, omnia ſecus eventura. Quibus probandis triſtia, quae nuper apoſtatae ſubierint Iulinenſes, fata exempla attulit, ſimilia iis, ſi in pravis ſuis conſiliis perſtiterint, minatus. Quem deinceps Otho excepit, ab inſtantibus ipſis pentecoſtes feſtis diebus concionandi materiem petens. Nam multa, uti conſueverat, diſerte, de Spiritus Sancti in eos, qui ipſi non oppugnarent, propenſa voluntate deque animorum ingeſſit immortalitate. Quae quum negari non poſſet, quemvis, aiebat, futurum illum ſibi diem ob oculos ponere debere, quo, pro factis, vitam, vel mortem, mercedem accepturus ſit. Sed quum morti alio nullo modo, ac per ſinceram in Chriſtum fidem, evadendum ſit, hac ipſa iam corpus animumque interitu expediant. Quibus auditis quum ethnici ſacerdotes multum, quaeſtus cauſſa, oppugnarent, demum utroque, et principe et epiſcopo perſuadente, eatenus victi ſunt, ut, nolentes volentes, apud Chriſtum nomina profiterentur. Primatum imprimis plerique, his ipſis comitiorum diebus, ab epiſcopo docti et baptizati ſunt, et quidem Ratibor, Wratislavi ducis frater, Mitzlavus, comes Gutzegovienſis, nobi-

les praeterea cives Luticii, Demminenſes, Hologaſtenſes, Groſvinenſes, Paſevalcenſes, Tribbetovenſes, alii.

Comitiis finitis *Wolgaſtum* [171]) profecturus, Otho, provectae iam aetatis infirmitatibus, ut itinere abſtineret, concedens, ſuis vicibus duos, e ſuis, ſacerdotes fungi iuſſit. Quorum unus interpres eius Albinus perhibetur, ab aliis aliter appellatus [172]). (Nam de egregio illo apoſtoli interprete et amico Paulicio, in altero hoc Pomeranico eius itinere deſcribendo, nullam ſcriptores mentionem iniiciunt). Sed quum plurimi, quae Uſedomi nuperrime inita eſſent, aegre ferrent conſilia, minime acceptum iri legatos metuendum erat. Nec vanus erat timor. Nam quum ad urbem veniſſent, et exaſperatam plebem, et tam callide ab ethnicis ſacerdotibus ſibi paratas invenerunt inſidias [173]), ut vitae periculum ſubierint, ni mulier quaedam, altera Rahab [174]), nobilis, ut perhibent, civis uxor, per triduum ſub tecto illos celans, a barbarorum impetu tutata eſſet. Tum, duce cum exercitu ante por-

171) Tum *Hologoſta* (*Hogoſta*, *Hologaſta* III, 4.), (Anonym. Caniſ. III, 5. p. 77. *Hologoſt* Andr. Gretſ. ap. Sur. III, 6. p. 63.) audiviſſe videtur.

172) Cramer I, 53. Meiller 157.

173) Cf. Anonym. Caniſ. III, 4. pag. 76.

174) Lib. Ioſuae 2.

tas comparente, cum episcopo, quem secum princeps adduxerat, se coniunxerunt, ut unitis viribus tandem et Hologastenses ad Christum profitendum adduxerint. Neque hoc loco idolorum fanis parcebant, quominus solo aequarent, Christiano, pro illis, templo aedificato. Cui Ioannem quemdam sacerdotem Otho designavit. Tum *Grossvinum*, *Demminum*, *Luticium* [175]) et *Tribbetoviam* [176]), qui illa loca converterent, misisse narratur. Quos et in ipsam Megapolin, usque ad Stargardiam atque Gustroviam urbes, progressos esse memoriae proditum est [177]).

Inter haec dux Polonus, Pomeranis, quod, nec divina, neque humana iura curantes, foedere violato, absente Othone, a fide descivissent, graviter irascens, ut, denuo eos debellando, superbum sacerdotum imperium penitus aboleret, bellum accinxerat. Quod uti, se interponendo, anteverteret, flagitantes, trepidi undique ad Othonem accurrebant. Per quem brevi, quod petierant, adepti, quum pacificatorem magnificarent liberati, ille deprecatus fertur, „dum nil meritis suis tribueret, tanto se humiliorem apud Deum et homi-

175) *Loitz.*
176) *Tribbesees,* vel *Treptow an der Tollense.* (?)
177) Cramer I, 55.

nes exhibens, quanto ſine illius auxilio ſe nil poſſe ſciebat [178]).“

Idem, quum Uſedomenſia haberentur comitia, a Gutzegovienſi comite Mitzlao in gratiam amicitiamque receptus, ipſam hanc rem, in praedicando ibi, magno ſibi fore adiumento ratus, mox *Gutzegoviam* [179]) profectus eſt. Multum ibi cives, ne pulchram idolorum aedem dirueret, ſed luſtratam potius Chriſto dicaret, rogitabant. Nihilominus epiſcopus, ne ſic aliquando Chriſto Belialem ſociare inducerentur veritus, acriter eam delendam poſtulabat. Quae ſenis iuſſa quum tandem exſequerentur, legati Alberti Saxonis, — qui, Urſi cognomine, poſtea temporis primus Marchio Brandenburgicus inclaruit, — quos Othonem ſalutatum, utque ſuum ei auxilium pollicerentur miſerat, dum ab ipſis paganis viris feminisque templa demoliri et obtruncari idola viderent, plebis patientiam admodum mirati feruntur. Unde quanta fuerit praeſentis Othonis auctoritas coniicere liceat. In novo autem conſecrando veri Dei templo ſapienter occaſione uſus eſt, ut turbam circumfuſam, ſemet ipſos, ſi per fidem Chriſtum ſibi inhabitare ſinerent, vera ſpiritus ſancti templa doce-

---

178) Andr. Gretſ. ap. Sur. III, 12. p. 65.

179) *Gützkow.* Anonym. Caniſ. III, 7. *Gozgangiam* appellat.

ret, et poſſe eſſe, et debere. Quo quidem ſenſu ipſum Mitzlaum comitem, quem Uſedomi ab eo baptizatum legimus, ſic allocutus fertur [180]): „Tu es, fili cariſſime, vera domus Dei; tu ipſe hodie dicandus et dedicandus es omnipotenti Deo, creatori tuo, ut, immunis ab omni alieno poſſeſſore, ipſius tantum manſio fias atque poſſeſſio. Non ergo impedias dedicationem tuam, fili cariſſime. Nihil enim prodeſt, iſtam, quam cernis, domum foris dedicari, *niſi etiam dedicatio ipſa ad cordis tui ſanctificationem proficiat.*“ Cui Mitzlaus: „Et quid eſt, pater ſancte, quod me iubes facere, ut dedicatio iſta in me compleatur?“ Reſpondit ille: „Ex parte, fili, domus Dei eſſe coepiſti, fac, ut ex toto ſis. Iam enim idololatriam fide commutaſti, baptismi gratiam conſecutus. Nunc ſequitur, ut fidem operibus exornes, impietates, oppreſſiones, rapinas, homicidia et fraudes penitus devites. Poſtremo quicquid tibi fieri ab alio non vis, alii ne feceris. Captivos, quos habes, abſolve omnes; quodſi non omnes, vel eos certe, qui Chriſtiani ſunt, tuae fidei conſortes.“ Tum comes haeſitans: „Admodum, aiebat, mihi grave eſt, pater, dimittere omnes, quia magnis rationibus ac debitis quidam ex iis mihi detinentur.“ Epiſcopus: „Debita pro debitis

180) Andr. Gretſ. apud. Sur. III, 11. p. 64.

dimittere, et ſermo evangelicus, et Dominica ſuadet oratio. Sic enim omni debitorum tuorum apud Deum certam remiſſionem conſequeris, ſi omnes debitores tuos, *in eius nomine*, abſolvis [181])". Quibus, diu cunctatus, ingemiſcens demum comes: „En, reſpondit, in nomine Domini Ieſu omnes abſolvo, ut, ſecundum verbum tuum, dimiſſis peccatis meis, dedicatio iſta hodie in me compleatur." Quibus pronunciatis illico ſervis iniunxit ut, praeter Danum iuvenem, qui a patre obſes ei, pro magno, quod debuit, argenti pondere, datus fuit, omnes cuſtodia liberarent [182]). Quem iuvenem, quum mox, per caſum, Othonis miniſtri, miſerrima depreſſum conditione inveniſſent, ille, eius dimiſſionem a duce, quum iam tanta conceſſiſſet, aperte poſtulare minime auſus, primum ferventiſſimas preces pro miſero ad Deum miſit [183]) immortalem, dein ſacerdotes iuſſit, ut hac de

181) Quam, dixerim, maligne centuriae egregium virum tractarint, inde ſat apparebit, quod ipſam hanc eius ſententiam inter Othonianos, quorum magnam vim exhibent, numerarint errores! — Certe, — quod contextus demonſtrat, — ſiquid ambigui haec ſententia habeat, non apoſtoli culpa factum eſt, ſed brevius eius ſenſum reddentis veteris ſcriptoris. —

182) Andr. Gretſ. ap. Sur. III, 11. p. 64.

183) „Quaſi hora una preces fudit ad Dominum." Idem eod. loco.

re, quam modeſtiſſime, comitem admonerent. Quibus, illum, ſi in miſero liberando *ſe ipſum viciſſet*, magnam apud Deum gratiam habiturum affirmantibus, licet primo enixe obſtiterit, tandem eo perductus eſt, ut lachrymans hisce apoſtolum verbis adierit: En, ſanctiſſime pater, in iſta quoque petitione Deum meum et te, ſervum eius, honorabo. Quinimmo, pro nomine Domini mei Ieſu, corpus meum et omnia mea, ſi ratio poſtulaverit, devotus impendam!" Neque dicta defecerunt facta.

Cuius et alios complures exemplum imitatores habuit. Othonem autem Gutzegovia, ultima vice, *Sedinum* commigraſſe legimus. Quam urbem, trucibus iampridem, prout vidimus, civium moribus difficillimam, nunc temporis, derelicta fide, Chriſtianis vel infenſiorem, quum ſui, — et ipſum, ut certum capitis periculum devitaret, miſere flagitantes, — adire timerent, ſenex vir clam, noctu, ſolus in viam ſe dediſſe fertur [184]). Quem quum illi mox, pudore ſuffuſi inſecuti eſſent, homini nil magis cordi erat, quam ne iterum de propoſito eum depellere conarentur. Poſtero autem die ad unum omnes Sedinum adpulſi ſunt. Verum enim vero tam ibi invenerunt

---

184) Anonym. Caniſ. III, 11. pag. 82. Andr. Gretſ. apud Sur. III, 15. pag. 66.

commutatam rerum conditionem, ut lachrymas ista meruerit. Ubi ante triennium omnes fere (ad nongentos patres familias! [185]) Christo nomina dedissent, eadem urbs nunc inter hostes illius atque amicos iterum divisa erat. Et quae ipse templa Deo vivo condidisset, Triglavi altaribus vel intus collocatis, vel continis prope appositis, profanata conspexit atque polluta. Nam ethnici sacerdotes, — tumultuante plebe, quid factu opus sit, cunctantibus magistratibus, — ut Triglavo et Teutonico Deo iuxta templa aedificarentur, hominibus persuaserant [186]). Cui tum miserrimo rerum statui moderando senex, — iam simulac, in urbem adventasset, cum suis, in templo ab ipso pridem exstructo, furenti ethnica turba obsessus — indefesse incubuit. Attamen, quae, dum, — nihil cessans, quin gloriosae martyrum mortis particeps fieret, — in dies persecutoribus in foro se plateisque praeberet, sermocinando hortandoque minus poterat, felici illa, cuius iam mentionem iniecimus, apud Poloniae principem intercessione, ut sumendum, et Sedinenses impertiens [187]), perfecisse videtur. Nisi multum quoque ad sedandos rebelles nobilis cuiusdam

---

185) Anonym. Canis. II, 25. pag. 71.
186) Andr. Gretf. apud Sur. III, 1. p. 61.
187) Andr. Gretf. ap. Sur. III, 24. p. 68.

civis, cui Witſacio [188]) nomen, oratio valuerit, non ſine auditorum applauſu, de raro, quo in magno quodam periculo, apoſtoli precibus ſublevatus, uſus fuiſſet, Chriſtianorum Dei auxilio publice teſtantis. Ne multi ſimus, lapſa pertinaciſſima civitas, altera iam vice Chriſto iuravit.

Quo ex tempore iucundam ſcriptores hiſtoriam memoriae reliquerunt, quam, quia novum et luculentum teſtimonium exhibet, quali et quam ſapienti cura cum pueris egerit Otho, veterum verbis [189]) hic apponere iuvat: „Quodam tempore pueros in platea ludentes invenit. Quos quum lingua barbara ſalutaſſet, veluti coniocando illis, etiam crucis ſigno in nomine Domini iis benedixit et paululum procedens animadvertit, quod univerſi, relictis luſibus ſuis, viſendi ſtudio collecti, a tergo eum ſequebantur, ignoti hominis, ut eſt mos illi aetati, aſpectum habitumque admirantes. Subſtitit homo Dei et circumfuſos blande alloquens ſciſcitatur, ſi qui ex iis baptisma percepiſſent. Illi, ſeſe mutuo reſpicientes, coeperunt invicem

188) Sic appellatus reperitur apud Kantzovium I, 25. Qui Anonymum ſecutus videtur (apud Caniſ. III, 13. p. 83.), „*Vitſtacum*“ virum appellantem. Andr. Gretſ. apud Sur. III. 2. p. 61. *Wirtſchachum* et III, 19. *Witſchachum* nuncupat.

189) Andr. Gretſ. ap. Sur. III, 18. p. 67. Anonym. Caniſ. III, 17. p. 85.

prodere, qui essent ex iis baptizati. Quos episcopus seorsum vocans quaerit ab iis, si voluntatis sit, tenere fidem, quae ad baptismum spectat, nec ne? Illis autem se tenere velle constanter affirmantibus, si, inquit, Christiani esse vultis et fidem servare baptismi, istos infideles pueros ad ludum vestrum admittere non debetis. Tum videre pulchrum erat, quomodo hi de professione Christiani nominis gloriantes, familiarius agerent et avidius intuerentur et audirent doctorem, etiam inter ludos suos, illi autem, quasi de infidelitate confusi et exterriti, longius starent. Sed pater optimus et credentes miti sermone ad fidem plenius pro ipsorum capacitate instruxit, et non credentes ad credendum tamdiu exhortabatur, donec se baptizari, et Christianos fieri omnes flagitarent.

Sedino, hoc temporis, Otho Stanislaum sacerdotem dimisit, ut *Prenzlavenses* et *Pasewalcum* oppidum penitus ad fidem converteret, ipse autem *Iulinum* reversus est, ibi apostolatus finem (14) positurus. Sed quum, honorifico Sedinensium comitatu stipatus, iam Viadro delaberetur ad Iulinenses, in ipso fluvio, saeva barbarorum insidiatorum turba adortus est. Quam, ut apostolo mortem inferret, ethnici sacerdotes locarant. Sed, ut conatum successus sequeretur, Deo prohihente, assequi non poterant. — Iulinenses, maxi-

mam partem, iam illa, de qua attulimus, clade, caelitus demiſſa, mitiores factos invenit. Reliquos autem, ſicut prius in rebellandi munere, dum acerrime oppugnarent, Sedinenſibus pares, nunc, aeque ac illos, facile compoſitos habuit. Nam ſemper ambae illae urbes, quamquam Sedinum principatum obtinuiſſe coniicere liceat, invicem ſe reſpexiſſe videntur.

Sic, incredibilibus ſtudiis, apoſtolus per breve admodum tempus, damnum refecerat. Prius quam autem imperatori, ut domum rediret, iubenti, ſatisfacere poſſet, ultima iam vice, iterum urbes vicosque inviſit, ſuis laboribus ad fidem converſos, nil moleſte ferens, niſi quod Rugios, Danis, tum temporis, audientes, licet ſaepius, ipſe et per legatos, huius rei veniam a dominis petiiſſet, a Roeskildenſi epiſcopo prohibitus, ad Chriſtianam fidem perducere nequiviſſet. Et barbari illi inſulani, cum primum terram adpulſus fuerit, mortem ei ſubeundam apertis verbis praedixerant [190])! — Hactenus de apoſtolatu Othonis. —

Apponere iuvat, eum, ſi ſcriptoribus credendum, in altera hac ſua ad Pomeranos profectione, et vites e patria ſecum attuliſſe, quas ut vinum tellus, in uſum ſanctae coenae, pro-

---

190) Andr. Gretſ. ap. Sur. III, 13. p. 65. cf. not. 127.

crearet, ferendas curavit [191]). Cuius rei fortasse indicio esse possit, quod nunc quoque temporis, ad primum ab Sedino urbe milliarium [192]), peramoenus ad Viadrum collis, cui „*vineae*“ nomen, aspicitur, deversorio publico inserviens. In quo Othonem primum vites posuisse narrant.

Caeterum, a principe luculenter deductus, sub nati Christi solemnia anni cIↄcxxviii, quem denuo integrum fere annum in Pomerania degerat, reversus est Bambergam. Neque absens carae suae Pomeraniae oblitus, quominus, re et verbis, duci et Adalberto episcopo succurreret, dum viveret, numquam cessavit. Saepius igitur, quo ethnicos imprimis, et sacerdotes, et optimates, Christianis reconciliaret, maximam donorum copiam terrae immisisse narratur. Sed dux, iam octo post annos, circa annum cIↄcxxxv, noctu, in praedio suo Stolpe, quo in ulteriore Pomerania gaudebat, a male contento nobili quodam crudeliter occisus est [193]). Nihilominus per illum et Bambergenses inter populares inceptum bonum opus tam fauste processit, ut tanta, quae alterius Othonis itineris ansam praebuit, tam universa defe-

191) Andr. Gretſ. ap. Sur. II, 40. p. 57.

192) In vico *Frauendorf.*

193) Kantzow I, 129. („*ungefehrlich im jar nach Christi gepurt* 1135.“)

ctio postea temporis numquam lugenda fuerit. —

Optimo autem nostro apostolo, per totos adhuc XI annos, episcopatu fungi contigit. Tum certo suis, qua iterata vice, per integros duos annos, ob Pomeranorum salutem, caruerant, — quod et ipse illis, eum apud se retinere studentibus, tamquam intolerabile et iniustum monstrarat [194]), — duplicatis studiis, consuetam curam exhibuit, pro more, „Christiani coetus utilitati, noctes invigilans diesque, augens inventa, restaurans amissa [195]).“ Tum episcopatum perambulans, uti solebat, aegrotos visitabat, pauperes sublevabat, vestiebat inopes. — Denique, anno cIↃcxxxix, triennio postquam fidus suus in Pomerania convertenda socius, Wratislaus dux diem obiisset, et ipsi, tantis iam defatigato procellosae vitae laboribus, in aeternae suscipi quietis portum concessum est. Nam eodem anno VII. Id. Aug. [196]), septuagenarius, vita decessit. Sed

194) „Magnum animae suae periculum asserebat, se, dum Christo nova de alienis gregibus lucra requirat, proprias oves sibique specialiter assignatas negligere.“ Andr. Gretf. ap. Sur. II, 45. pag. 59.

195) Sunt verba Andr. Gretf. ap. Sur. I, 15. p. 37.

196) Cramerus diem xxx Sept. tradit et alium alii, in mortis quoque anno constituendo diversi.

alium iam inducere liceat, nobis facundius de ultimis tanti viri horis differentem." Post strenuos, ille narrat [197]), pro Christo agones, vicinus morti sanguinis laborabat profluvio. Quotidie tamen in sede residens et interdum, baculo sustentante, procedens, psalmis et orationibus vacabat, ut etiam sacra inunctione sedendo sit inunctus, nec alio, quam dormitionis die, lecto decubuerit. Continuo se beato Michaeli atque Ioanni apostolo, quos prae caeteris elegerat, multum commendabat. Inde adveniente beatorum Petri et Pauli apostolorum festivitate, vocato ad se Egilberto, maioris ecclesiae decano, adstantibus abbatibus et presbyteris, omnia sua commendavit. Qui etiam post in episcopatu Othoni successor factus est. Nocte vero, qua divi Pauli commemoratio agitur, attendens lectionibus, quae matutino leguntur, sive nocturno cantu, ad singulas Deo gratias dicebat. Eodem mane, hora diei prima feriae sextae, beatum spiritum, non sine suorum luctu, victor misit ad Chri-

197) Bugenhagius, in Pomerania p. 111. Fuit, quum, circa xxx aetatis annum (Pomeran. p. 175.) haec scriberet, adhuc catholicae addictus persuasioni Bugenhagius. De quo cf. Balthasar in praef. ad Pomeraniam et *Hasselbach*, *Sendschr.* p. 195. Paulo copiosius ultimas apostoli res tradidit Andreas Gretseri, apud Surium lib. IV, inde a cap. IV. Cf. Anonym. ap. Canisium III, 45.

ſtum. Corpus, aromatibus conditum, in montem Sti Michaelis delatum eſt, confluente undique populo. Ubi, dum praecentor inciperet antiphonam: „Domine, ſuscipe me," caet. ingens omnium fletus exortus eſt. Poſtremo autem ante altare Michaelis laudatus, mauſoleo ſuo impoſitus eſt. Inteſtina vero, in urnam miſſa, in medio ſacelli ſctae Mariae virginis repoſita ſunt." — At animus beatus, — nos, Andreae 198) verbis, adiicimus, — ecce quod concupivit iam videt, quod ſperavit tenet, illi eſt iunctus in caelis, quem tota mente dilexit in terris! — Quam de exitus praeclari viri relationem, ad modum auctoris noſtri, egregiis denique Imbriconis, epiſcopi Herbipolitani, verbis, quibus ſuo in illum funebri ſermoni 199) finem impoſuit, concludere liceat: „Si uspiam, ait, ſicut eſt humanae fragilitatis, tanta eius opera, tantae ipſius Othonis miſerationes et bene facta, humana laude, vel humanae laudis intentione, titillata ſunt, vel maculata, (nihil enim ſatis purum coram ſummo iudice) rogate, quaeſo, rogate

---

198) Apud Surium pag. 74.

199) Inter recentiores totum exhibent, Meillerus pag. 220. et Cramerus, qui etiam vernaculam verſionem ad calcem adiecit, lib. I, pag. 85. Exſtat quoque ap. Anonym. Caniſ. III, ultimo capite, 47. et Andream Gretſer. apud Sur. IV, 5. p. 71.

attentius; oremus omnes pariter, ut hoc abolere, hoc tollere dignetur ipſe, qui tollit peccata mundi, agnus Dei, Dominus noſter Ieſus Chriſtus!" (15)

Caeterum de eius, quae a catholicis magna pompa percenſentur, tam miraculis [200]), quam, quas decem capitulis, oneroſa garrulitate, noviſſimus inter illos ſcriptor pertractat, totidem „primariis virtutibus [201])," iam ſilendum nobis putamus. Nam, quod ad illorum adtinet fidem diiudicandam, hoc noſtri non eſt, ſed Dei, et ipſe bonus Otho, quum miraculum factum ei adſcribere vellent, prohibuit dicens: „Non me miraculorum factorem, ſed peccatorem ſciatis [202])!" De his autem tacentibus nobis ſat erit in illo ac-

200) A Meillero e. g. libb. VI et IX.

201) Idem lib. VII.

202) Andr. Gretſer. ap. Sur. III, 26. pag. 68. Egregie cum his conſentiunt humilia verba, quae, modo a papa epiſcopus confirmatus, ex Italia Bambergam ſuis noſter perſcripſit. Et quidem in fine epiſtolae (apud Andr. Gretſer. Sur. I, 14. pag. 36.) ſic leguntur: „Sed quia in exſequendis iuſtitiae operibus divinae gratiae adiutorio opus eſt, omnipotentis Dei aſſiduis precibus clementiam exorate, quatenus ad haec nobis operanda et velle tribuat, et poſſe concedat, atque in ea nos via cum fructu boni operis, quem ſe eſſe teſtatus eſt, dirigat, ut ſine quo nihil poſſimus, per ipſum implere omnia valeamus." (Apud Anonym. Caniſ. in eadem epiſtola I, 8. p. 46. non leguntur.)

quiescere, qui nervus erat et anima omnium ab Othone praeclare gestorum, — *rarum dicimus et sincerum Christi amorem.* Quo virum imbutum fuisse, nisi ex hac qualicunque scriptione eluxerit, omnino irritus putandus erit scribendi labor. Nam is ubi verus adest, omnes simul adsunt virtutes et sine illo nullae. — Sed Othonem virum ostendisse speramus, qui in diversissimis vitae conditionibus arctam illam cum Deo servatore suo societatem semper immutatam retinuerit. Illi *comes*, a parentibus doctus, adhaesit, ab illo, tum *ludimagister*, tum *summus imperatoris minister*, avelli non potuit, illum *episcopus* suum suspiciebat episcopum et *apostolus* solum et immutabile salutis suae cornu, in ipsius se debilitate firmissimum praestiturum. Denique, sive floruerint res suae, sive angustae fuerint, in Deo suo semper florens erat atque augustus, summus imusque in Deo magnus.

Illud tantum, praetereundo, adiecisse sufficiat, eum anno cIↃcLxxxix a Clemente III, Romano pontifice, Sanctorum fastis adscriptum fuisse [203]). Qui quidem honor, licet, tum ab

203) Centuriae. — Qua de translatione Othonis duae exstant papales bullae. (In calce Gretseriani Andreae ap. Surium pag. 74.) Et tria quotannis catholici eius solemnia celebrant. Nempe xiii Mai. festum ordinationis, diem mortis xxx Iun. et festum translationis xxx Sept. Meiller pag. 167.

homine in hominem conferri nequeat, tum nulli quoque umquam mortalium iure contigerit, qui, ſi imperata omnia praeſtiterint, inutiles ſervi putandi ſunt [204]); tamen, ſi ab aliqua parte in uſum abuſus verti poſſet, in neminem fortaſſe maiore ſuo iure caderet, quam in ipſum generoſiſſimum hunc Othonem.

Cuius externae cognoſcendae figurae, ſi quos curioſitas ſubierit, hi, ſi pictis, illum effingentibus tabulis, minus confiderint, — quarum una in Sti Petri et Pauli templo Sedinenſi aſſervatur, alteram, ſed peſſime effectam et nullius, ut videtur, momenti, in fronte libri Meilleriani videre licet, et alibi alias, — maiorem fortaſſe Anonymo et Andreae abbati fidem tribuent, eum elegantis corporis et angelici aſpectus hominem [205]), habitus nitore cunctis acceptum et honorabilem fuiſſe affirmantibus [206]). Sed in hac, licet manca, externi Othonis deſcriptione, nullibi, quae certae fidei eſſet, ampliorem invenientibus nobis ſubſiſtendum erit. Hinc manum de tabula. —

204) Luc. 17, 10.

205) Andr. Gretſ. apud Sur. I, 6. pag. 34.

206) Anonym. Caniſ. I, 1. p. 41. — Andr. Gretſeri ap. Sur. I, 6. p. 34. — Eiusd. de vita S. Ottonis libr. IV. ed. Iaſche p. 15.

III.

MANTISSA

ADNOTATIONUM ALIQUOT ET MONUMENTORUM.

Corollarium hocce iis aliquot rebus, quas in textu notisque, ſive omiſimus, ſive expoſitu longas duximus, tam repetendis deſtinavimus, quam corrigendis. Et ſunt fere haec:

I. IN PROLEGOMENIS.

Locum Auguſtini pag. 17. laudatum, in illa ſermonum eius in Lucae evangelium parte habes, quae decimo capiti (v. 30—37.) illuſtrando inſervit.

Pag. 33. lin. 11. — „*Si fieri liceat.*" —

Vix dictu opus videtur, nos, celebratae illi apoſtoli phraſi: „Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου" caet. hunc ſenſum tribuentes, illam tantum pro quovis maximo malo, ob fratrum ſalutem ſubeundo, dictam accipi velle. — Certo, qui ſtrictam verborum ſignificationem retinendam exiſtimaret, hoc ipſo, Paulum graviſſimi argueret peccati. Eſt enim aeterna vita (vel, quod idem, ipſe Chriſtus,) ſola illa res, quam, ſi apud nos eſſet, nullius cauſſa et nulla omnino conditione nobis amiſſum iri concedere poſſemus. Nam aeter-

na vita, five *aeterna mors*, — tertium non datur, et cum Chrifto in aeternum vivere, — hunc univerfi nobis finem, quem timore et tremore affequendum curemus, ab ipfo Deo habemus propofitum. Caeterum locum Exod. 32, 32 conferendum commendamus.

Quae pag. 35. lin. 10. „*de corpore*, *fanctificati animi fancto domicilio*," disputavimus, iam nobis melius et copiofius expofuit cel. *Windifchmann* in noviffimo libro, qui infcribitur: *Ueber Etwas, das der Heilkunft Noth thut. Ein Verfuch zur Vereinigung diefer Kunft mit der chriftlichen Philofophie. Leipzig*, *Cnobloch* 1824. inde a pag. 270. Quem eumdem librum reperies in annalibus, quibus titulus: *Zeitfchrift für Anthropologie*, 1823. Fafc. 3. et 4. *Cf. Heinroth Lehrb. d. Seelengefundheitskunde.* 1r *Th. Theorie u. Lehre von der Leibespflege. Leipzig*, *Vogel.* 1823. §§. 8. 9. p. 74. fqq.

II. IN VITA.

1) Pag. 47. In nomine apoftoli fcribendo, quamquam apud fcriptores, tam veteres, quam recentiores, „*Otto*" fcriptum invenientes, Bugenhagium imitati fumus, quem quae nos fortaffe fcribendi rationes duxerunt. Etenim fapit, iam fi illius cognomen conferamus Romanorum imperatoris, magis antiquitatem ille nofter fcribendi modus, ex quo „*Otho*" vocabulum fonat. Caeterum apud Surium

quoque, in marginali Gretſeriani Andreae indice, „Otho“ ſcriptum exſtat, dum textus habet „Otto.“ Quatenus autem *Meillerus* audiendus ſit pag. 6. de vernaculo „*Hut*“ nomen derivans, ut *cuſtodem* ſignificet, in medio relinquimus. Certe cum illo non conſentit *Wachterus*, in gloſſario ſcribens: „*Od*, praeſtans. Senſus vocis Celticus. Boxhorn in lex. Ant. Brit: *od* excellens, praeſtans, egregius. Atque hinc iam patet, unde ſit nomen *Othonibus* tam Romanorum quam Germanorum, nempe a praeſtantia.“

2) Pag. 47. „Qua autem ratione divus Otto a potioribus geſtorum et vitae eius ſcriptoribus, etiam ab illis, qui Bertholdum et Sophiam parentes agnoſcunt, *Suevus* audiat, inde fors evenire potuit, quia territorium illud, in quo Amerthalii duces principabant, antiquitus ad Sueviam pertinuit, ibique ipſe S. Otto bona quaedam poſſedit.“ Hactenus Meillerus (pag. 4.) *Bavaricas* vindicans eius natales. Nos contra *Suevicas* origenes adſerere eo adducti ſumus, quod in patria alicuius conſtituenda, primaeva nobis, in qua natus fuerit, provinciae conditio, quam ipſe Meillerus Othonianae Suevicam innuit, minime ſub cuius poſtea ditionem venerit, momenti eſſe videtur. Veterum ſcriptorum quoque uterque, tam Anonymus, quam Andreas, *Sueviam* apoſtoli patriam ſiſtunt. Caeterum de natalibus Othonis quodque cum alio ſae-

pius Othone (II) commutatus ſit vide Meillerum pag. 230. uberius diſſerentem.

Pag. 47. lin. 3. „*mediocri fortuna.*“

Cf. Anonym. Caniſ. I, 1. pag. 41: „Parentes eius *in divitiis et opibus mediocres*“ atque Andreas Gretſ. ap. Sur. I, 1. pag. 32: „Summis principibus ſanguine pares erant, ſed *opibus impares.*

Pag. 47. lin. 7. „*plerique ſcriptores.*“

E. g. Andr. Gretſer. ap. Sur. I, 1: „ambo [parentes Othonis] ſimplicitati et manſuetudini operam dantes, nulli violentiam, aut oppreſſionem inferebant, quinimmo piis operibus et eleemoſynis vacantes.“

Pag. 47. lin. 9. „*orbus.*“ —

„Qui, [Otho] quum, diligenter enutritus, in ſpe bona, *ad annos discretionis perveniſſet*, ipſi [parentes] defuncti ſunt.“ Anon. Caniſ. I, 1. —

3) P. 47. Anon. Caniſ. I, 1. — Sunt, qui duos Othoni fratres totidemque ſorores contigiſſe memoriae prodiderint. Meiller pag. 7. cf. p. 12.

Ad. pag. 48. Not. 4. —

Cuius loci ſimiles plures ex caetera antiquitate, e Sophocle v. g. et Herodoto, de promptos, afferre potuiſſemus, ſi talium rerum huc pertineret copioſior expoſitio, quam quae praetereundo dari poſſit.

4) Pag. 48. Bonus Cramerus in libro notiſſimo: „*Das Pomriſche Kirchenchronicon*,“

p. 3. extr. falſo „*Vladislai Hermanni*“ nomen duci indit. Quique in *Boleslai* nomine illi tribuendo conſentiunt, tamen in numero apponendo diverſiſſimi ſunt. Nos inter hunc et illum, qui *primus* Boleslaus appellatus eſt, anno milleſimo, ob Chriſtianam rem promovendam arma ferentem (cf. Godf. Lengnich. de rel. Chr. in Polonia initiis Lipſ. 735. 4.), alium nullum invenimus hoc nomine inſignitum, ut hic, Henrici IV imperatoris levir, iure *alter Boleslaus* vindicandus videatur.

Pag. 49. lin. 12. „*liberalitatis.*“ —

[Beneficentia, vel liberalitas] „in eo ſpeciali quadam praerogativa ſic enituit, ut ſine ambitione gloriae inanis, gratiam conſequeretur apud Deum et homines. Tanta enim in dando uſus eſt discretione, ut numquam prodigus, ſemper autem liberalis inveniretur. Immanes autem iacturas et ſumptos infinitos parvi pendebat, ſi [Mancus hic eſt textus.] — — — —. Equidem homo gravis omnia facta ſua certo iudicio ponderabat. Unde ſi aliquando res maior et utilior magna largitione acquirebatur, nequaquam manum contraxit. Cauſſa igitur largitionis ſemper ei fuit aut utilitas, aut neceſſitas, honeſtas caet. Hinc autem ſuper omnia intentus, omnium indigentium, vel qualibet calamitate oppreſſorum commune fuit conſilium.“ Anonym. Caniſii I, 9. pag. 46.

Pag. 51. Not. 13. —

Apponendum eſt: Noſtrae tamen narrationis verba plerumque Meilleri ſunt pag. 26.

Pag. 53. lin. 2: „*ne papae diſpliceret.*".

Illam cauſſam fuiſſe litterae oſtendunt, idcirco ad Paſchalem II papam ab ipſo Othone perſcriptae, quas, quum facile ad virum, qui fuerit, declarandum quid faciant, integras ex Anonym. Caniſii. I, 5. pag. 44. (Alias ſiſtit Andreas Gretſ. ap. Sur. I, 9. pag. 35.) apponimus:

„Domino et patri ſuo Paſchali, ſanctae et Apoſtolicae ſedis univerſali Epiſcopo, Otto, Babenbergenſis eccleſiae id quod eſt, tam devotae quam debitae ſubiectiones, orationes et ſervitium.

Quia totius Eccleſiaſticae dignitatis ac religionis firmamentum in Chriſto petra eſt, et in Petro eius diſcipulo, et eius ſucceſſoribus; idcirco ab hac linea, ab hac virga directionis, virga regnorum, pontificatuum, et omnium poteſtatum in Eccleſia, *inſanum duxi aberrare.* Vobis igiiur, pater ſanctiſſime, et ſanctae matri noſtrae Romanae Eccleſiae collum devote ſubmittens, auxilium et conſilium de rebus meis flagito. In obſequio enim Domini mei Imperatoris per annos aliquot degens et gratiam in oculis eius inveniens, *ſuſpectam habens in manu principis inveſtituram*, ſemel et iterum, quum dare vellet, renui Epiſcopatum. Nunc vero iam tertio in Babenbergenſi Epiſco-

patu me ordinavit, in quo tamen minime permanebo, nisi vestrae complaceat sanctitati per vos me investire et consecrare. Quicquid ergo placeat discretioni vestrae de me, per nuncios mihi significate servo vestro; ne forte in vanum curram, si ad vos currere incipiam. Omnipotens mihi propitiam incolumitatem vestram custodiat."

„Dominus autem apostolicus, — auctor noster pergit, — visis litteris gavisus, eo quod pauci episcopi Teutonici regni, in ea malignitate temporum, matri suae, quod iustum esset, deferrent, ac ei tales litteras destinavit:"

„Paschalis, servus servorum Dei, Ottoni, dilecto fratri, Babenbergensis Ecclesiae electo, salutem et Apostolicam benedictionem. Filius sapiens laetificat matrem suam. Opera tua et consilium tuum virum praeferunt sensatum. Nos igitur honorare et profectus tuos iuvare congruum duximus, Nihil ergo de nostra benevolentia dubitans tuam nobis quantocius valens praesentiam exhibeto. Certi enim sumus quod divina sapientia etiam malis hominibus bene uti novit."

Caeterum Basnagium conferendum commendamus in observatione in Othonis vitam apud Surium, in lectt. antiqq. Tom. 3. part. 2. pag. 38. Nr. 3. dum *periurii* eum accusat, quod, immemor sacramenti imperatori prius praestiti, papalem episcopatus sui confirma-

tionem quaesierit, Othonem graviter obiurgantem. — Sed et considerandum erit, imperatorem, si, ut videtur, anno cIↃcIII Othonem episcopum elegerit, ipso anno (cIↃcII) proxime antecedenti, a papa excommunicatum fuisse.

Pag. 55. Not. 21. —

Fuerunt tum temporis in clero selecti quidam viri, quorum praeclarissimum novimus S. Bernhardum, ideam quandam, dixerim, papalis tyrannidis, dum omnium vota sola curet, omnibus omnino conducentis, in animo habentes. De quo imprimis S. Bernhardi liber „De consideratione ad Eugenium papam" conferendus.

5) P. 55. Centuriatores Magdeburgenses, licet alias egregios se praebuerint et venerandos, tamen boni Othonis, cuius iam rei in notis textui subiunctis passim aliqua exempla attulimus, acriores exstitisse videntur Aristarchi. Quo — reliquis, et e protestantium numero, diligenter collatis rerum Othoniarum scriptoribus, — paene adducti essemus, ut maligno eos quodam contra optimum apostolum iudicio praeventos argueremus. Ita, temporum eius et catholicae persuasionis fere nullo in iudicando viro sat aequo respectu habito, in centuriae XII, capite X, ubi de Othone sermonem instituunt, eius in doctrina errorum XI singulos enumerare seduliores sunt, raram, in Pomeranico apostolatu et suscipiendo et peragendo

ſenis virtutem parum, dixerim, curantes. Iam totam eius alteram apoſtolicam expeditionem, quum tamen a coaevo auctore memoriae prodita ſit, addubitare conantur. Profecto nos quoque in depellendis et refutandis tenebris Romanis nobiles ipſorum labores quam maximi aeſtimandas ex animo putamus, ſed — „ſunt certi denique fines, quos ultra citraque nequit conſiſtere rectum!“ — Sane, ubi tota talis, prope divina vita optimum iam viri teſtimonium exhibuit, aliquot etiam, — iam reſcribimus ſententiam ſupra latam, — errores, — et quam puſilli atque, ex parte, fere nulli in centuriis allati apparent! — non tanti, ut vel ſinguli percenſeantur, momenti habendi ſunt. — Niſi, quod tamen ſtrictis indicare verbis non auſi ſunt, illorum quoque incredibilium exantlandorum Pomeranici apoſtolatus laborum hierarchicas potius, ſcilicet, ut papae ditionem novis amplificaret terris, quam pias cauſſas anſam praebuiſſe ſuſpicati ſunt Magdeburgenſes. At maioris profecto alicuius, quam miſeri, licet maxime illum coleret, papae amore, eum inflammatum oportuit, qui fere ſexagenarius tantum, tanto, quem in noſtra de eo ſcriptione exhibuimus, fervore, iterata vice opus attingeret! —

Pag. 56. Not. 23. —

Sunt verba ex indice marginali Surianae Gretſeriani Andreae editionis deprompta.

6) P. 57. XXVI ſingula a Meillero (lib. IV „S. Ottonis fundationes“), quae vel fundavit, vel dotavit, monaſteria recenſentur. Inter quae et Banthenſe, ſat notum, prope Bambergam et in ipſius urbis pomoerio Sancti Michaelis, illud montanum, ipſi cariſſimum, ubi compoſitus eſt, recenſentur. VI praeterea condidit minoris ordinis coetus, quos cellas vocant, eodem ſecundum Gretſerianum Andream, teſte Meillero. — Andr. Sur. I, 16. pag. 37. Cf, Anonym. Caniſ. I, 11. pag. 47.

7) Pag. 60. Iuvat praeterea, quum praeſertim monachorum ille amor in vituperium verſus ſit Othoni, eiusdem argumenti litteras apponere, ad monaſteriorum ſuorum abbates ab ipſo perſcriptas. Quas apud Meillerum invenies cap. VI. pag. 94. (Cfr. Andr. Gretſ. ap. Sur. I, 30. pag. 40.). Sic ipſe optime, ex parte ſaltem, ab ſuis ſe defendet oppugnatoribus, ut, ſi quidem et nos nequaquam toti ei applaudere poſſimus, tamen, omnis ſuae conditionis ratione habita, noſter, pro temporum ſuorum ſtatu, in eo laudandus magis, quam vituperandus exiſtat.

„Otto, Dei gratia, Babebergenſis eccleſiae humilis miniſter, venerabili fratri Wulframo abbati coenobii S. Michaelis, caet. et omnibus ſub ipſis pie converſantibus ſalutem et perſeverantem in Dei voluntate famulatum.“

Cum primum paſtoralis curae regimen, quamvis indigni, ſuſcepimus, monaſteria,

ecclesiae nostrae subdita, *qualiter in monastica religione disposita essent, diligenter attendimus;* sed omnia a disciplinae suae rigore nimis resoluta invenimus. Quod moleste ferentes ac dispensationi nostrae incautum existimantes, *diu multumque laboravimus*, *fusis ad Deum precibus*, *ut*, per divinam providentiam, quae in sui dispositione non fallitur, *hoc mutaretur in melius.* Tandem Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum, vota respiciens humilium, in omnibus monasteriis nostris religionis praestitit augmentum; quia vos gregi suo pastores idoneos elegit, ac fratrum vestrorum numerum in sancta conversatione multiplicavit. Quod in vicino S. Michaelis monte ostenditur, quia, dum non plus quam viginti fratres et eosdem sub tenui disciplina invenimus, iam, Deo gratias, plus quam septuaginta inibi cernimus, absque his, qui honeste conversantur extrinsecus.

Unde nos non mediocriter laetificati, omnes vos praelatos ac subditos in caritate sancta appellamus, omnium pedibus humiliati, *in Deo et propter Deum obsecrantes*, *ut digne ambuletis vocatione*, *qua vocati estis*, et religionis vestrae, ac spiritualis disciplinae vigorem, alii succedentes aliis, haereditario iure in longitudinem dierum conservetis.

In memoriam ergo tam salubris exhortationis addimus decretum nostrae episcopalis

confirmationis, dirigendum, transſcribendum, relegendum ſingulis monaſteriis, monaſticae religionis ſpiritualem militiam, Deo placitam, hominibus acceptam, celebrem angelis, terribilem hoſtibus, ut iam per omnia coenobia noſtra, ſub auctoritate Spiritus Sancti, renovavimus, inſtituimus, ſic deinceps integram illibatamque perſeverare ſancimus atque decernimus, commendantes eam ſub teſtimonio Chriſti et eccleſiae vobis electis rectoribus ac dilectis fratribus, per vos nihilominus commendandam omnibus veſtris ſucceſſoribus. De caetero in nomine Domini vobis benedicimus. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiam omnes vos in Chriſti viſceribus, Amen."

Cuius transſcribendae epiſtolae et ideo non irritum laborem putavimus, quod, tamquam quoddam animi Othoniani paſtoralisque eius curae documentum, ab ipſo exhibitum, lectu digniſſima ſit.

Caeterum epiſcopi cum monachis ſuis vivendi rationem Andreas Gr. ap. Sur. II, p. 48 innuit, dicens, eum, dum omnibus hominibus omnia factus fuerit, praecipue monachis patrem, vel, ut verius dicat, matrem fuiſſe, ſenes, ut patres, veneraſſe, iuniores, vel pueros, ut filios dilexiſſe et inter eos quaſi unus ex iis ambulaſſe. Idem alio loco, eum, quoties ex itinere redux factus fuiſſet, primo ſemper, num quis mortuus

mortuus ſit rogaſſe et mortuum intime doluiſſe narrat. IV, 3. pag. 70.),

P. 62. lin. 16. *pro* XVIII *ponendum eſt* XXI.

8) P. 67. Inter plures e. g. et Hugo de Sto Victore, Othonis aequalis († 1140.), corruptiſſimos tum temporis clericorum mores hisce perſtringit verbis: „Clerici noſtris temporibus legem neſciunt, nec diſcunt, ſed vanitates. Otio, commeſſationibus, ebrietatibus ſtudent; terrena capiunt; aſſidue in plateis, raro in eccleſiis, tardi ad inveſtigandum culpam peccatorum, parati ad inveſtiganda veſtigia leporum; velociores ſunt ad congregandum canes, quam ad convocandum pauperes; citius porrigunt panem canibus, quam pauperibus; citius extendunt manum ad taxillum, quam ad miſſae librum. Ii ſunt, quorum thalamus ornatior, quam altaria, ſcyphus pulchrior calice, equus carior, quam miſſale, mappa pulchrior caſula, camiſia delicatior, quam alba. Immo, quod horrendum eſt dicere et nefarium, femoralia pulchriora, quam corporalia.“ Et alio loco: „Utinam ſaltem uxorem inde paſcerent, ſed ipſi paſcunt concubinas de bonis Chriſti!“ — (Opp. Venet. 1588. vol. 3.) Cf. Neandri Bernhard. pag. 18. ſqq. et D. *J. T. L. Danz Lehrbuch der chriſtlichen KG. 2ten Theils 1ſte Hälfte. Jena* 1822. p. 3. med. —

9) P. 71. „*Und iſt, ohne Ruhm zu melden, dieſe Stadt* [*Stettin*] *an einem ſehr ſchönen, herr-*

lichen und fruchtbaren Orthe fundiret worden. Der weitberühmte Fluſs, die Oder, lauffet nicht allein nahe für Stettin vorbey, ſondern theilet ſich oben und niederwerts dieſer Stadt und machet viel herrliche fiſchreiche Ströme, holtzreiche Inſuln, luſtige grüne Auen und Wieſenwachs, welche über die maſsen lieblich anzuſehen, alſo daſs die gantze Gegendt da herumb nichts anders, als ein ſchöner gewünſchter Luſtplatz zu achten, welcher auch der Griechen Tempe, ſo ſie ihrer Luſt halben ſo hoch gerühmet, weit überſteiget." *Hiſtoriſche Beſchreibung der Stadt Alten-Stettin in Pommern durch* Paulum Friedeborn, Secretar. Stetinenſ. *Alten-Stettin* 1613. Vol. I. pag. 25

Pag. 72. *lin* 7. „*obtrudebant*". —

„(Boleslaus dux) ſingulis annis, collecto exercitu valido, terras paganorum devaſtare ſolebat, ut vel timore gladii iugo Chriſtianae fidei ſubigerentur." Andr. Gretſ. ap. Sur. II, 45. pag. 59. cf. Anonym. Caniſ. II, 1. pag. 55.

10) Pag. 85. — — — „*und lieſsen ſich tawffen, unfehrlich bei ſiebentawſend Menſchen, die Menner beſondere, und die weiber auch beſondere, damit ergernüs verhüdt würde.*

So hielt S. Otto dieſe weiſse mit jnen, welche er auch in allen andern ſtetten gehalten hat, die ich hir einmal wil anzeigen, damit ichs an allen orten nicht dorff erzellen, und ſtellete es ſo mit jnen an. Er und

ſeine mitprieſter unterrichteten das Volck bei ſieben Tagen im Catechismo, und lieſſen ſie die wort im kleinen Catechismo auswendig lernen. Darnach legete er jnen auff, drei tage lang zu faſten. Wan ſie ſo gefaſtet, muſten ſie darnach baden, und reine kleider anthun, und alſo erſt mit reinen hertzen, und darnebſt mit zaubern leibe zur tawffe gehen. So lieſs er ſie jren Catechismum auffſagen. Die dan den Catechismum khonten, die hieſs er auff eine beſtimpte zeit wieder zur tawffe khomen. Mitlerzeit bevahl er jnen vleiſſig zu peten, das jnen unſer her Got jre ſünde und abgötterey wolte vergeben. Darnach lieſs er drey tawffen zurichten, eine jede beſonders, eine für die Menner, die ander für die frawen und Junkfrawen, die dritte für die Knaben. Dieſelben tawffen umbhingen ſie mit tapeten, damit man nichts unhöfliches ſehen khonte. Die Prieſter ſtunden hierauſsen, und hing vor jnen noch ein ſonderlichs zindel, daſs ſie auch nichts ungebührliches ſehen khonten, wen ſie vellicht den tapeten moſten bey ſeit ſchieben. Alſo tawffte S. Otto ſelbſt die Junckgeſellen und knaben, und die andern Prieſter tawfften die Menner und Weiber. Die ſich nu tawffen lieſſen, zogen ſich hinter den tapeten aus, und ſprungen in die tawffe, ehe ſie jemandt ſahe, und wan dan der Prieſter hörete, das ſie drinne waren, zog er den tapeten bey ſeiten, griff jnen den khopff,

und dünckete ſie dreymal unter, und tawffte ſie alſo im Nhamen des Vaters, des Sohns und des heiligen Geiſtes, und ſehe nichts mehr wan den Khopff, damit kein ergernüs am Sakrament der Tawffe geſpürt würde, und ſich etliche Perſonen nicht ſcheuen türften. Es dorfft aber ein jglicher nur einen Peten haben, und muſte ein brennendt wachslicht in der handt tragen. Wan er nhun die kleider abgelegt, gab er ſie und das licht dem Peten; derſelb hielt das wachslicht, und hielt die kleider vor die augen, das er nichts ſahe, bis das der ander wieder aus der tawffe kham. So lieſs er jne wieder anziehn, und gab jnen das licht wieder, bis ſo lange die andern auch getawfft weren. Und alsbald konfirmirte S. Otto diejenigen, ſo jren Catechismum wol wuſten, mit dem heiligen Oele; die jnen aber nicht recht wol wuſten, bevahl er, das ſie jne noch lernen muſten.

Alſo hats S. Otto alhie und im gantzen lande mit der tawffe gehalten, im ſommer, und wens nicht kalt war. Im Winter hat er aber, umb Kelte willen, in warmen ſtuben tawffen zugerichtet, und mit weyrauch und rauchkertzlein einen gutten geruch darinnen machen laſſen, welche feine ordnung die Pomern ſehr bewogen hat, das diejenigen den glawben deſto eher angenhomen, die es ſonſt nicht gethan hetten. Und iſt S. Otto auch ſunſt ſo züchtig

und erbar geweſt, das man in gehen, ſtehen, ſitzen, geberden, eſſen, trincken, kleidungen, worten und werken, nichts leichtfertiges an jme geſehen; darumb hat er auch die chriſtliche Lehre durch ſeinen euſserlichen wandel ſeher befurdert, und bei allen lieb und werth gemachet." (Cf. textus noſtri p. 85. not. 72.) Kantzow Vol. I, pag. 89—91.

Quae de baptizandi Othonis ratione, quam *in univerſum* quidem ipſe temporum ſuorum uſus praeſcripſerat, venuſta Kantzovii relatio ex Anonymo deſumpta videtur. (In editione Caniſ. II, 7. p. 60. cf. Andr. Gretſer. apud Sur. II, 15. p. 50. Bugenhagius ſimilem ſiſtit, in Pomerania pag. 88.) Nos, ut huic noſtrae latinae disquiſitioni, latinis poſthabitis, vernaculum hocce fragmentum adderemus, ipſe inimitabilis lepor adduxit, quo chronici huius ſcriptoris ſtilum conditum invenientes plurium eum voluptati inſervire geſtiebamus. In hoc certe reliquorum nullus Othonianorum ſcriptorum Hologaſtenſem illum ſcribam aequiparavit! —

Pag. 86. lin. 4. „*Sine triſtitia*" caet.

Integram hanc Othonis orationem ex Anonymo cel. Danzius ſiſtit. *KG.* II, 1. pag. 93 ſqq.

11) Pag. 90. Pyriſſa Othonem, in ipſis Ioannis baptiſtae ſolemnibus, disceſſiſſe opinio eſt, de qua et Cramerus conferendus in libro: *Gr. Pomr. Kirchenchr.* lib. I, p. 29. Quae res, quum alias ſat certi, in quibus maioris momenti quid

fecerit apoſtolus, apud hiſtoricos Othonianos dies non occurrant, nos, ſi auguſtiſſimo Boruſſorum regi non ſecus iam placuerit, ut ipſum hunc XXIV menſis Iunii diem, ſacris inſtituendis ſaecularibus, commendemus adducit. Caeterum quum apoſtolus, quem ſub feſtos pentecoſtes dies primum terram attigiſſe legimus, XX dies Pyriſſae baptizaſſe commemoretur (Anonym. Caniſ. II, 8. pag. 61. Andr. Gretſer apud Sur. II, 16. pag. 50), eum circa primum eiusdem menſis diem ibi adveniſſe apparet, ut pari iure ipſae menſis Iunii Calendae ſacris celebrandis aptae ſint. Neque omni prorſus momento carent hi dies, ſcilicet quum tam Pyriſſa prima Pomeraniae urbs fuerit, ab Othone petita, quam, bene ibi ab illo rebus geſtis, totius convertendae terrae quaſi fundamentum poſitum videatur. Iam tertium datur, ut cum ipſis pentecoſtes ſaecularia iungantur ſolemnia Quod nemini certo abs re eſſe videbitur, qui et apoſtolum ſub ipſos illos pentecoſtes feſtos dies terram primum attigiſſe narrantes nos audierit, et quanta inter illa Spiritus Sancti ſolemnia et Othonis res cognatio intercedat, recordetur.

12) Pag. 111. — — — „*triglaſi auf wendiſch heiſsen drei köpffe, damit ſie haben bedeuten wollen, das er ein Gott were, vber himmel, erde und helle.* — —

Von dieſen triglaſe habe ich eine ſeltzſa-

me meinung; dan ich halts, das von den Wenden, ſo in vorzeiten aus dieſsen landen in Italien gezogen, etliche widder herein gekhomen ſeint, und weil dieſelben daſelbſt Chriſten geworden, vnd getawfft ſeint worden, vnd von der heiligen dreifaltigkeit gewuſt, haben ſie es jren Kindern auch gelernt. Aber nachdem es hir gar heidniſch geweſt, und keine prediger gehapt, haben es die Kinder mit der Zeit vergeſsen, und den rechten glawben von der heiligen dreyfaltigkeit, in einen miſsbrauch gewant, und ſollichen abgot mit drey köpffen daraus gemacht, und denſelben vor einen Gott gehalten. Es ſey aber ſo, oder nicht, ich wils nicht hart verteidingen, ſonder hab es dennoch anzeigen müſſen." Kantzow vol. I, pag. 107. Cf. Andr. Gretſ. ap. Sur. III, 1. pag. 60. aliam cauſſam ſiſtens.

13) Pag. 114. Cf. *J. B. Steinbrück vom St. Otten-Stift und Kirche zu Stettin.* 1774. 4.

Chriſtian Zickermann hiſtoriſche Nachricht von den alten Einwohnern in Pommern, auch von der Religion und Bekehrung, inſonderheit aber von der St. Petri- und Paulskirche in Alten-Stettin, welche Biſchof Otto von Bamberg Ao. 1124. *bauen laſſen.*

Cuius templi in poſterum fata haec inſcriptio exhibet, his noviſſimis temporibus, ſupra portam affixa, unde ipſi transſcripſimus:

„Erbauet durch Bischof Otto v. Bamberg 1124,
Zerstöret während der Belagerung von 1677,
verwüstet durch den Krieg von 1806,
wiederhergestellt 1816 u. 1817.“

14) Pag. 138. Chronologico quodam, quantum fieri potuit, ordine perscripta, haec fere sunt, quae ipse Otho, ibi praedicaturus, invisit, Pomeraniae loca. (Iam, quo facilius, quae in singulis praeclare gesserit conferri possint, singularum, quae apostolum ibi praesentem exhibeant, libelli nostri pagellarum numeros locorum nominibus apponimus.) Et quidem prima vice, per aestatem et hiemem a. cIↃcxxiv: *Pyrissa* (76. extr. — 91.). — *Caminum* (91. med. — 94.) — *Iulinum* (94—97. extr., 115 med. — 116 extr. et 138 extr.). — *Sedinum* (97 extr. — 115 et 135 med. — 138.) — *Graditium* et *Lubinum* 115 med. — *Dabera* (Dodona?) (117). — *Coloberga* (117 sq.). — *Belgardia* (118.); altera, iterum per aestatem et hiemem anni cIↃcxxviii: *Demminum* (?) (126). — *Usedomum* (127—130). — *Wolgastum* (130 sq.) — *Gutzegovia* (132—135). — Quas quidem urbes pluries singulas visitavit, dum reliquas nonnullas, prout vidimus (pag. 131.), legatorum ope convertendas curabat. —

15) Pag. 144. Kantzovius iucundissimam suam de Othone narrationem hac sententia concludit, cuius imprimis ultimam enuntiationem, in apostolo nostro iudicando, etiam atque

etiam considerandam, lectoribus ultima vice sincere commendamus:

Dies ist der abscheid unsers lieben apostels vnd vaters S. Otten, des gedechtnüss wyr billig in ehrwürdigkeit halten; dan er hat vns ja aus christlichem gemühte, Christum und das heilige Evangelium hereingebracht, vnd beyde, leib und gut, daran gewagt, daraus dan one zweiffel viel der unsern, sonderlich die vnschuldigen kinderchen, vnd andere die Got auserschen, seelig geworden. Ist ja etwas jrtumbs in des heiligen Vaters lehre gewest, das ist nicht sein motwille, sonder der zeit schuld gewest, vnd hat jme vnser her Got seine heilige arbeit, one zweiffel im ewigen lebend belohnet." (Vol. I. pag. 127.)

IV.

SYLLABUS FONTIUM

QUIBUS

POTISSIMUM IN VITA OTHONIS CONCINNANDA USI SUMUS.

De fontibus haec habemus praemonenda: Pomerania, cum in caeteris plerisque litteris, prout nos quidem comperimus, tum patriae imprimis hiſtoriae ſcriptorum, inde a ſaeculo XV medio et eccleſiae reformatorum temporibus, ſat magnum eumdemque, magnam partem, egregium, protulit numerum. (De quibus, inter plures, evolvenda commendamus, tum: (*L. H. Gadebuſch*) *Verſuch einer Pommerſchen hiſtoriſchen Bibliothek.* (*Greifswald* 1775.) 29 pagg. 8. caeteraque huius ſcripta ad hiſtoriam litterariam ſpectantia); tum novos noviſſimosque libros: *A. F. Barkowii*, *De fatis hiſtoriae Pomeraniae ſpecimen academicum Gryphisw.* 1810. — *K. F. W. Haſſelbachii*, *über Sells Geſchichte des Herzogthums Pommern, ein Sendſchreiben an d. Hrn. Superintend. Haken. Stralſund* 1821. (Cuius quidem peregregiae ſcriptionis, hic cel. Mohnikii laudes, noſtris plus facientes, apponere iuvat:

„*Dieſes treffliche Sendſchreiben darf von keinem Forſcher der alten Pommerſchen Geſchichte überſehen werden. Es zeigt auf das Deutlichſte, wie viel in unſrer Geſchichte noch zu unterſuchen und zu prüfen iſt. Ueber Manches bei Adam von Bremen, Helmold, Saxo Grammaticus, Andreas und den andern Lebensbeſchreibern des heiligen Otto verbreitet dieſes gehaltreiche Sendſchreiben Licht.*“) praecipue inde a pag. 192. et ipſam cel. *Mohnikii* doctiſſimam praefationem noviſſimi libri: *Bartholomäi Saſtrowen Lauff ſeines gantzen Lebens* caet. Vol. I. *Greifswald* 1823, per 132 pagg. Pomeranorum in hiſtoricis litteris praeſidiorum conſpectum exhibentem.) — Sed quum in caeteris hiſtoriae ſuae partibus, licet colligentes plus quam ſcrutantes, αὐτοκράτορας tamen ſe praebuerint Pomerani, de Chriſtianae e contrario in terram ſuam fidei introductione ab exteris fontes repetendi ſunt. Etenim, quod fieri debuit, Franconiae patriae, Pomeranorum apoſtoli ſodales, de eo rebusque eius nuncium ferentes, hanc relationum ſuarum reliquerunt haereditatem. Ad quas iam recenſendas aggredimur. Sed lecturos, nos minime tam integram, quam criticam fontium Othonianorum nobis enumerationem propoſuiſſe monemus, id potiſſimum geſtientes, ut, — dum, praetereundo, quae nobis caeterisque aliquot viris de fide illorum viſa ſint apponeremus, — hac auctorum, a quibus in Otho-

nis vita concinanda ducti fuimus, recenſione, quantum vires, locus, otiumque nobis ſinerent, cuivis ipſam noſtram fidem, propria manu, ad obruſſam exigendi copiam largiremur. Integros autem librorum titulos ideo transſcribimus, quod in iis interdum ipſi auctores, qui ſint, quodammodo ſe depinxerunt. Et ſunt quidem hi:

I. ANONYMVS.

Cuius eo quidem textu uſi ſumus, quem *Henr. Caniſius in lectionibb. antiqq.* (Theſaur. monument. ed. *I. Basnage*) *Amſtelaed.* 1725. Tom. III, part. 2. inde a pag. 35—96. ſub inſequenti titulo exhibuit:

„Libri tres de vita beati Ottonis (,) Sueviae comitis, ducis Poloniae [,] legati (,) imperatoris Henrici [,] cancellarii, epiſcopi Bambergenſis, et confeſſoris et Pomeranorum apoſtoli. Auctore *Anonymo συγχρόνῳ.* Ubi praeter multa de rebus Pomeranorum, Saxonum, Danorum, Polonorum, Ruthenorum, Hungarorum, Boëmorum, Teutonum aliaque ſcitu digna [.] (,) continentur etiam [,] epiſtolae S. Ottonis tres, Paſchalis pontificis tres, Calixti pontificis duae, Innocentii pontific. una (,) Bolislai ducis Polonorum duae et Imbraconis Herbipolenſis epiſcopi oratio in

funere S. Ottonis (,) omnia primum edita e M. S. codice monasterii Monsee, ab Henrico Canisio Noviomago I. C."

Cui textui, qui primus est, typis expressus, in tres libros diviso, (erravit cel. Danz, nisi typothetae ille error est, K. G. S. II, 1. pag. 92. not. 2. duos tantum laudans.) Basnagius observationem praemisit, „VII numeris" perscriptam. Ipse autem anonymus scriptor praefationem suam in libri capite positam, hisce concludit verbis: „Scripta sunt autem in libro hoc, *quae religiosi ac probatissimi viri* ab ipso [Othone] gesta *oculis suis viderunt* et *nobis fideliter enarraverunt* 1), ut in testimoniis veritatis nihil privati amoris et gratiae inferatur, sed opera eius, quae in Deo facta sunt, summa sinceritate et veritate in honorem Dei et utilitatem ecclesiae proferantur." — Quod ad stilum auctoris, — Hasselbachio 2) ad-

1) Cf. Basnagius in observat. 2. pag. 38: „Fefellit Canisium vox illa *narraverunt*; credidit enim illa *ex ore loquentium* excepisse scriptorem nostrum, quamquam de coaetanorum scriptis facile possit intelligi." Cuius eiusdem Basnagii tota de Anonymo nostro disputatio, pag. 37 et 38 instituta, hic conferenda. Tum Hasselbachium evolvendum commendamus *Sendschr.* pag. 45. 49. 50. Idem (Cf. Andr. Abb. in praef. ap. Sur. init.), pag. 50. sub Anonymo *Ebbonem* latere coniecit.

2) Cum quo et Andr. Abb. consentit. De quo cf. subsequens pag. 178. lin. 27.

ſentientes, *Sendſchr.* p. 51: „*dieſe Prädicate,* [„*vorzüglich und elegant*"] *gerade möchten ſich nach den Begriffen jener Zeit der Schreibart unſres Ungenannten ganz füglich vindiciren laſſen.*" — illum a conſueta quidem medii aevi barbarie gnaviter abhorrere contenderimus. Sed mancus huc illuc eſt textus. Quod vitium, et alteri, ut videtur, huius vitae recenſioni, dialogica forma concinnatae, inhaerens, Andreae abbati ad ſuum conficiendum opus anſam praebuit.

II. ANDREAS ABBAS.

Cuius quidem chronici, in IV libros diviſi, in illa eius editione ab Iacobo Gretſero curata, quae apud Laurentium Surium exſtat (De probatis Sanctorum vitis. — Iulius. — Col. Agripp. 1618. inde a pag. 31—74), ſola nobis e caeteris huius textus recenſionibus, dum librum noſtrum exararemus, ſine interruptione conceſſa, hic titulus eſt:

„Vita S. Ottonis epiſcopi Bambergenſis, apoſtoli Pomeranorum, quatuor libris ſcripta ab Andrea monasterii S. Michaelis prope Bambergam abbate, a. P. Iacobo Gretſero edita."

(Ipſum huius Surii Gretſeriani textus editionis in *Divis Bambergenſibus* Ingolſt. 1611. fontem invenies, unde, paulum immutatum, — una et Iaſchianum Andream typis reſcribens, — ſuum *I. P. Ludewig* deprompſit in ſcr. rer. Epiſc. Bamb.

p. 394—785. — Denique in Greſer. quoque opp. Tom. X. pag. 568. typis impreſſum exſtat. Praetereundo cel. Mohnikium in ſaepius laudata ad Saſtrovium ſuum praefatione pag. 17. not. de auctore Suriani Andreae, prout videtur, non ſat inſtructum fuiſſe, monere liceat. Etenim ſcripſit doctiſſimus vir: „*Das Leben des heiligen Otto, welches ſich bei* Surius *in den* vitis Sanctor T. IV. *ſindet, kenne ich nur aus Anführungen bei andern, namentlich bei Gretſer.*" quum et Suriani illius Andreae primus editor idem Gretſerus ſit). Caeterum ipſe ſuae fidei teſtimonium exhibeat Andreas propriis aliquot verbis ſuis, e praefatione deſumptis, quam libro praemiſit. Cuius haec eſt dedicatio: „Venerabili ac ſupplici in Chriſto patri Ioanni Macario ſeraphici ordinis conventus Babebergenſis Guardiano, proclamatori verbi Dei conſtantiſſimo, Frater Andreas, humilis ſervitor Fratrum coenobii S. Michaelis archangeli, ordinis S. Benedicti prope Babebergam — — —" Tum hisce verbis, — quas breviter iam in nota 66 (p. 78.) ſub textu vitae exhibita, hic conferenda, exhibuimus, — ſcribendi cauſſas adfert: „Petitionibus veſtris, prout ſcientiae meae tenuitas permiſit, parere ſtudui. Petiſtis enim, ut ſanctiſſimi patris noſtri Ottonis, Babeberg. Epiſc., vitam, praecipuo quidem elegantique ſtilo ſcriptam, *utpote Ebbonis noſtri coenobii monachi, ſicut enim ex ore venerandi et a Deo dilecti ſacerdotis Udalrici*

audivit, *nec non Sefridi atque Tiemonis*, per modum Dialogi antiquitus editam, ſed in locis quibusdam ita infirmo intellectui obſcuram, ut difficile pateat, quo oratio tendat, et in nonnullis locis a ſe ipſis [— ſa?] discrepantem, hanc ego ſententia apertiori reſerarem." — Porro de ſtili ſui ſimplicitate his verbis teſtatur: „Quid enim mihi infimo et illiterato nodoſa et perplexa oratio?" — caet. Sed quae de Ebbonis aeque ac Sefridi et Tiemonis, apoſtoli ſodalium, tam hiſtoria quam fide innuit, loci anguſtiis nimis circumſepti, lecturis iam, ut ipſi relegant, relinquendum habemus. Quod pariter in pag. 56. inſtituendum negotium commendamus, ubi egregiam ſane loquentes ſententiam ferunt de fidei ad mortuos reſuſcitandos neceſſitate, cui et quod pag. 67. inſerunt iudicium conferendum et reliqua plura. *Plures autem in concinnando libro ſuo veterum libros inter ſe comparaſſe, ſed ipſis Othonis epiſtolis plurimum fidei tribuiſſe* in eadem pag. 31. extr. Abbas contendit. Denique egregiis ſane hisce ſuis verbis, plus caeteris, ſi modo ſincere ſcripſerit, fidem ſuam teſtantibus, hanc eius dictorum quaſi chreſtomathiam concludimus: „— — mihi ſumme cavendum (quia multum diligere ſcio eum, de quo loquor) ne ob eius dilectionem rem non vere auxiſſe videar. Itaque ſummopere cavendum, ne laude mortuorum vivis derogem. Multi enim ad iniuriam viventium magnis et

importunis laudibus benefacta efferunt mortuorum. Sed hos ego non laudatores veros, ſed figurativos criminatores arguerim." — Quae quidem omnia, etſi multum ad ſcriptorum noſtrorum conſtituendam faciant auctoritatem, tamen in iudicanda illorum fide unum hoc minime negligendum habemus, quod in illo eſt, — eos *monachos* fuiſſe, patri et fundatori ſuo Ottoni intimo grati pectoris ſenſu accepta referentes.

Cuius Andreae, a Gretſero editi, illum, quem Iaſchius Pomeranus, ſub titulo:

„*Andreae abbatis Bambergenſis* de vita S. Ottonis caet. libri IV nunc primum ex membranis, Benedicto ſctae Camminenſis eccleſiae pontifici inſcriptis, editi, cum libris IV *Andreae Gretſeriani* aliisque comitis cuiusdam S. Ottonis, quem Sifriedum eſſe putant, qui in compendium etiam redacti exhibentur, collati, [qua Iaſchii Anonymi cum Andrea ſuo collatione, Sellium in libro: „*Geſchichte des Herzogth. Pommern*" pro fonte abuſum fuiſſe Haſſelb. iam monuit *Sendſchr.* p. 52.] a corruptelis vindicati et appendice trium diplomatt. mſc. caet. illuſtrati a *Valerio Iaſchio*, Pomerano (paſtor. Coloberg.). Colbergae 1681." 526 pagg. 4.

exhibuit, dissimillimum esse debere, ex *Maschii* huius libri descriptione: *Beiträge zur Erläuterung der Obotritischen Alterthümer* 1774 p. 20. elucebit. Quem, quum ipsi librum non sat sedulo comparare potuerimus, integrum hic locum apponimus: „*Unter den drei Lebensbeschreib. des Bischofs Otto: des ungenannten Zeitgenossen, welchen man Siegfried nennt, des Ebbo und des Andreas ist die letzte die schlechteste, und eine ganz (?) vollkommene Legende, wie man sie von der Zeit, da er lebte, erwarten konnte. Andreas war Abt des Klosters S. Michael bei Bamberg. Er war der* 36*ste Abt und gelangte* 1483 *zu dieser Würde und starb* 1502. *Von seinem Werke, das voller abentheuerlicher Wunder ist, hat man* 2 *Hauptausgaben, welche aber sehr verschieden sind, die erste von Iacob Gretser zu Ingolstadt in den Divis Bambergensibus, auch hernach in d.* opp. T. X. p. 568 caet. *Man hat auch von dieser Ausgabe eine italienische Uebersetzung in des Gio. Pietr. Maffei vite di XVII Confessori di Christo Rom.* 1601 4. *Die andere Ausgabe ist die Colbergische. In den Ludewigschen Scriptt. Bamberg. ist diese Ausgabe T. I. col.* 193 *ff. wieder abgedruckt. Vergleicht man beide Ausgaben, so ist sehr wahrscheinlich, dass Andreas seine Legende zuerst* 1487 *ausgefertigt habe, dass aber einige Veränderungen damit vorgegangen,*

darauf 1499 *die 2te Ausfertigung erfolgt ist. Die Hauptquelle ist Siegfrieds Bericht, aus welchem er ganze Seiten abschreibet.*" Sed de mutua diversorum horum, dixerim, Andrearum inter se ratione Hasselbachium iam conferendum commendamus *Sendschr.* locc. laudd.

Denique novissimum his de rebus scriptorem exhibeamus: „*Bericht üb. alt. Handschr. v. Bibliothekar Iäck zu Bamb.*" 3) (*In Okenii* ephemer., quae *Isidi* inscriptae sunt, 1822. VIII, init, p. 827. med): „*Unter mehreren Handschriften der Lebensbeschreibung des h. Otto zeichnet sich die originelle vom J.* 1499 *aus, welche Abt Andreas im Kloster Michelsberg bei Bamberg, schon vor der Erhebung zu dieser Würde, entweder allein, oder in Verbindung mit andern Conventualen, z. B. Erhard Vetter, verfaßte*

---

3) In quo cel. Iaeckii programmate plura adhuc recensentur κειμήλια, ad Othonem nostrum spectantia, quae, in Bibl. Bamb. asservantur: e. g. A. 1. Vita S. Ott. B. 10. Pontificale ipsius. 39. Legendae S. Henr. imp. Cuneg. virg. ac. *Ottonis* Episcop. Bamb. 62. *Chronik d. Bamb. Bischöfe von* 1007 — 1580. 64. Andr. (Lang.) Abbatis in monte S. Michael. vit. episcop. Bamb. 66. Legenda S. Ottonis. Episcop. Bamb. 1499. et quidem in pluribb. copp. et interprett. — Opus canonis. de ord. S. Bened. Abbat. Pontific. („*Von welchen die drei Bamberg. Bischöfe Hermann, Otto I. und Lamb. von Brunn caet. ausführl. behandelt sind.*" Iaeck p. 822.) caet. cum singulor. gestis, sive Andr. Abb. leg.

und vielleicht durch ſeinen Geheimſchreiber und Mitbruder Nonniſius (Noniſius) copiren lieſs. Sie iſt auf Perg. 9 Zoll hoch u. 6 3/4 Zoll breit, mit gleichen Lettern und ziemlich ſchwarzer Tinte ſehr leſerlich geſchrieben und hat 56. Blätter." ſqq.

„*Die Conventualen des Kloſters Michelsberg lieſsen 1714 einen in 8. bei Kunz gedr. Lebenswandel des h. Otto für die Stadtbewohner Bambergs vertheilen, welcher nur einige Abänderungen von obiger Handſchrift hat.*"

His addendum, Iaſchiani Andreae opus et transſcriptum exſtare in codice (75 pagg. pergam. fol. min.), qui Sedini in templi Iacobaei bibliotheca aſſervatur, a nobismet ipſis ante aliquot hebdomades ibi collato. Et quidem idem exemplar eſſe videtur, ad quod Iaſchius ſuam excudi curavit libri Andreani editionem. Cui noſtrae opinioni certe non oppugnant verba, quae interiori operculi anterioris lateri adſcripta leguntur: „Hic codex publici iuris iam factus exſtat in Valerii Iaſchii ſcriptoribb. de vita S. Ottonis. Colb. 1681 4. p. 1—268 itemque in Io. Pet. de Ludewig. ſcriptoribb. rerum Bambergenſium T. 1. vol 397—550." —

Iam de illis, qui, ſingulorum de Othonis vita librorum ſcriptores, plus minus, ex primariis his fontibus, ante nos, ſua deprompſerunt, paucis

differendum. Quos inter, quum *Christ. Schoettgenii*, olim apud Stargardenses rectoris, scriptionem, qua superioribus Christianae Pomeraniae sacris saecularibus prolusisse videtur:

„*Andenken der Pommerschen Bekehrung. Stargard* 1724. 4."

ipsi non viderimus, solus ille liber breviter percensendus est, qui inscribitur:

„Mundi miraculum, seu S. Otto, episcop. Bamberg. Pomeraniae apostolus et exempti monasterii Ensdorffensis praecipuus dotator caet. Collectore *F. Anselmo Meiller*, huius Ottoniani et exempti monasterii Ensdorffensis abbate postlimino restituti, secundo. Opusculum, quod genealogis, historiographis, chronologis, antiquariis, ascetis et verbi Dei praeconibus usui esse poterit. Sumptib. J. Gastl, Bibliop. Pedepont. 1739. 479 pagg. 4."

Quem, sane monstrosum, libri titulum ideo fusius transscripsimus, quod quemdam iam quasi nuncium prae se fert, quatenus huic Meillero credendum. Etenim quam, in fronte positum Thrasonicum illud: „Mundi miraculum" et expresse iniecta Ensdorffensis caeterorumque mentio monasteriorum, ad librum legendum adeuntes nos fovere adegit, eamdem hierarchicarum, dixerim, suspicionem scribendi

rationum, in perlegendo proh dolor! veriorem invenimus, quam vellemus. Quae quum ita ſint, temperare nobis non poſſumus, quominus cel. Iaeckii illo, in Okenii Iſid. ſupr. laud.: „*welches vom künftigen Bearbeiter des Lebens des h. Otto vorzüglich berückſichtigt zu werden verdient*,“ quo modo iniectam huius ſuam libri mentionem concludit, — licet, quum tum noviſſimus fuerit Meillerus Othonis laudator, cui priores omnes huius generis ſcriptores ante oculos verſarentur, tum uberibus Bambergenſium bibliothecarum fontibus proximus adſederit, valde mirandum ſit, — nos in vanam ſpem erectos fuiſſe libere fateamur. Nam merus, qualem in titulo ſe ipſum nominat, *ſed infortunatiſſimus*, priorum „collator“ 4) eſt, ἀλλοτρίων farragine miſere hiſtorias obruens. Scilicet ne, quibus in titulo et praefatione, iuſto plus, indulſerat, ampullae et ſesquipedales phraſes omnino vanae exſiſterent, res afferre coactus fuiſſe videtur, ſincerae hiſtoricae fidei nullo modo congruas. (Quarum e pluribus, pro exemplis ſint, pag. 63. infr. et pag. 67. (!!)). Utque, quanto Otho monachis praeſidio fuerit laudibus atque exemplis extolleret, tantum ei

4) Sed raro, — quantum nos ſaltem in legendo libro indagare potuimus, — fontes laudat. Quos inter potiſſimum, quod orationes epiſtolasque conferendo reperimus, Gretſeriano Andrea uſus eſt.

cordi erat, ut, ne prioribus libri paginis ab hisce ſordibus plane immunibus, totam dimidiam eius partem, a p. 247—442, huic rei impenderit. Qualis autem et quam impudens atque iniuſtus, immo potius veſanus optimi noſtri Lutheri extiterit et reformationis, per divinum hominem illum ſociosque inſtitutae, irreconciliabilis inimicus, inter caeteras, inſequentes eius ſententiae demonſtrent: „Nunc Camminum a Weſtphalica, rei catholicae inimica, pace Electori Brandenburgico tributum pendet, quod quondam ampliſſimus et immediatus epiſcopatus erat! Cuius ſpirituali ruinae initium dedit Erasmus Manteuffel ab Arnhauſen, qui a vera religione deflectens, epiſcopalem dignitatem, informem Lutheri reformationem ſecutus, deformaſſe fertur. Hunc certe agrum dixeris, in quo S. Otto agricola ſeminavit bonum ſemen. Cum autem ille dormiret, morte naturali ſublatus, venit inimicus eius, (poſt quaterna ſecula Lutherus) et ſuperſeminavit zizania in medio tritico et abiit ex reſidentia Mansfeldenſi, vino ingurgitatus, in orcum.“ (!!!) (pag. 122.) Sane transſcriptu odioſa ſunt monſtroſa haec, horrenda, informia atque ingentia verba, quibus lumen ademptum; ſed, quo inſcios moneamus, ne in libro evolvendo fallantur, alterum adhuc locum, pag. 167, aeque peſſimum apponendum ducimus: „Pomerani autem, altera vice ad veram fidem converſi et confirmati, in ea per-

ſtitere, usque dum eos Pſeudo-Evangeliſtae obſcurus Lutherus et liliatus ſodomita Calvinus, ovinam pellem ſub maleſano evangelii ſchemmate mentiti, per ſuos potiſſimum apoſtatas apoſtolos viam veritatis iterum declinare docuerunt.“ Iam, quantum in fide tali ſcriptori tribuenda cavendum ſit, ſat apparebit. Inque univerſum nobis in hoc Meillero hiſtorico plus phantaſia et poetica quaedam indoles, quicquid in buccam venit eructans, polluiſſe videtur, quam tali praeſertim, ſcriptori, ad difficilem hiſtoriae lauream aſpiranti, indulgendum ſit.

Praeter illos, quos, prius quam de Meillero ſermonem inſtitueremus, ſcriptores adduximus, reliquos duos praecipue inter ſcribendum evolvimus, — maxime conſpicuos in reformatorum ſaeculo Pomeranorum hiſtoricos. Ad *Bugenhagium* alludimus et *Kantzovium.* Qui etſi illis, qui pro fontibus habentur, ſcriptoribus, his, ut videtur, ipſis ſua debentes, non pares cenſendi ſunt, tamen univerſo ſuo habitu tantam prae ſe ferunt fidem, ut aliquoties, ab illis deſerti, ad eos confugere conati ſimus.

Et ſunt quidem tituli:

„*Io. Bugenhagen* (†. 1558) Pomerania caet., ex mſcpto ed. I. H. Balthaſar. Gryphisw. 1728. 4.“

Othonis res exhibet lib. II, cap. IX — XXIX, pag. 78 — 111. De fide cf. Balthasar in praef. Adiicimus quam Hasselbachius nuperrime eius laudem (*Sendschr.* pag. 194.) pronunciavit: „*Unser trefflicher Bugenhagen hat in der Bearbeitung Pommerscher Geschichte für uns zuerst die Bahn gebrochen, und das, wenn gleich nicht eben kunstmässig, doch auf so eigenthümliche Weise, dass diese allerdings näher betrachtet und eigens entwickelt zu werden verdiente. Denn seine* Pomerania, *in welcher sich die Individualität des biederherzigen Pommers, des christlich rechtschaffenen, jegliche Schlechtigkeit befehdenden, sowie den Studien zugethanen Mannes mit aller Freimüthigkeit entschiednen Reformatorsinnes, obwohl er noch als Katholik und kaum schon unterrichtet von der durch Luther begonnenen Kirchenverbesserung in klösterlicher Zelle schrieb, so kräftig als ungeschminkt ausspricht, ist zu seiner Characteristik bisher nirgends hinlänglich benutzt worden.*“

„*Pomerania oder Ursprunck Altheit und Geschicht der Völcker und Lande Pomern* caet. *in vierzehn Büchern beschrieben durch Thomas Kantzow* († 1542) *weiland Geheimschreiber in der fürstl. Pommerschen Kanzlei zu Wol-*

gaſt und aus deſſen Handſchrift herausgegeben von H. G. L. Koſegarten. 2 *Vol.* 8. *Greifswald* 1816. 17."

Vol. I, lib. III ind. a p. 84—127 Othonis res narrat. De praeclara eius ſcriptoris indole iam ſupra, huc illuc, plura, ſubiunctis quoque aliquot exemplis, attulimus. Hic demum, ex animo doctiſſimo illo viro adſentientes, epitheta nonnulla apponimus, quibus a Haſſelbachio *Sendſchr.* p. 184 et 186 impertitur. Et quidem ſunt, ut vernaculam retineamus dictionem: *körnig, gehalten, wach* et *beſonnen.* Profecto iam tota, quae verum hiſtoricum fere ſola efformat, nobilis illa ſupellex! — Caeterum et doctam cel. editoris praefationem de illo conferendam ſummopere commendamus.

His adde:

„(I. I. Sell) *Otto Biſch. von Bamberg, der Pommern Bekehrer.*" *Stettin* 1792. 8. et

„*H. Fr. G. Kahlow,* de introductione rel. chr. in Pomeraniam." Gött. 1807. 4.

et iam fere integrum habebis Othonianorum ſcriptorum catalogum. (Cf. mantiſſ. n. 13. p. 167.)

Denique *Helmoldum*, *Cranzium*, *Centurias*, *Baronium*, *Cramerum*, (quem, ſi in notis textui ſubiunctis ſolo nomine „Cramer" laudavimus, ſemper notiſſimum eius li-

brum innuimus: *Das grofse Pomrifche Kirchenchronicon* caet. *Alt Stettin.* 1628. fol.) *Micrälium*, *Schoettgenium*, *Gebhardum* et alios complures fedulo nos evolviffe fat iam ex ipfo libro apparuerit, ut iterum lectorum illam conniventiae etiam atque etiam commendantes, fcriptionem noftram his Iaeckii verbis in illa fua de Bambergenfium bibliothecarum thefauris ralatione, fupra laudata, concludere posfimus: „*Eine diplomatifch genaue Arbeit wäre aber erft nach erfolgtem Abdrucke der Bamberger Urkunden möglich* 5), *welcher zwar feit* 15 *Jahren öfter verfprochen wurde*, *wozu aber nicht fo bald einige Hoffnung feyn mögte.*“ —

---

5) Hisce adiungimus cel. Mohnikii illa, (Saftrow. praef. 12.): „*Soviel Ungewifsheit hinfichtlich ihrer* (Anonymi atque Andreae) *auch in mehr als einer Beziehung herrfcht, fo bleiben fie doch die Hauptquelle für die Gefchichte der Bekehrung der Pommern zum Chriftenthume. Vielleicht ift in Bamberg über diefe wichtigfte Begebenheit in unfrer Pommerfchen Gefchichte noch Manches aufzufinden, was wir zur Zeit noch nicht kennen.*“ — —

EMENDANDA ALIQUOT ET ADDENDA.

His — quum otii anguſtiis praepediti, illa tantum, quae ſingulas pagellas obiter perluſtrantibus nobis occurrerunt, typis mandare potuerimus, — lecturos, ut, quae ipſi invenerint, benevoli conniventesque addant, ſummopere precamur. Nam caeteris ita inter ſcribendum curis occupati fuimus, ut ſtilum curandi nulla omnino nobis copia concederetur.

Pag. VI. extr. et VII ſupr. verba: „*remotiſſima ex antiquitate depromptis*," uncis includenda commendamus, quippe quae noſtra, non laudati ſcriptoris ſunt.
— 20. not. 6. lin. 1. pro „ſ. ſcript." ponendum „*S. Script.*" et alias.
— 23. lin. 2. pro ſuſceptam. p. *ſuscept.* et alias.
— — — 8. — disperſas. p. *diſperſ.*, et ubicumque litt. s. cum ſ. commutata occurrit, corrigendum.
— 25. lin. 8. pro coelo p. *caelo.*
— — — 9. — „ſpirit. ſanct." ponendum eſt „*Spir. Sanct.*", quod idem et alias faciendum, ubi illud *Dei Spiritus Sancti* nomen occurrit.
— 26. lin. 13. pro „ſalvatorem" p. „*ſervatorem*" et al.
— 35. — 16. Poſt „divinus" *delendum eſt comma.*
— 36. — 24. poſt „miniſtrum" *comma ponendum.*
— 37. — 14. pro „canvaluit" ponendum „*convaluit.*"
— 38. — 13. „*et Ringelt.*" Quibus nunc et egregius *Ward*, *Anglus*, accenſendus, ante hos paucos menſes, poſt incredibiles pro Chriſto et fratribus agones, ex India orientali in aeternam patriam ſusceptus.
— 48. lin. 19. pro „episcopi" ponendum „*epiſc.*" et al.
— — — 24. pro „sceptra" p. „*ſceptr.*"
— 55. — 14. pro „lacrymas" p. „*lachrymas*" et ubic. c. pro *ch.* poſita occ.
— 58. lin. 17. ante „Mundus" „ ponendum.
— 76. — 9. pro „nunquam" ponendum „*numquam*" et ubicumque *m* et *n* commutat. occ.
— 78. lin. 6. (in not.) poſt „Bugenh. 58" inſerendum: *cf. Anonym. Caniſ. II, 3. pag. 57.*
— 78. lin. 19. pro littera l. in verbo „afflrmat" ponendum *i.*
— 85. lin. 16. poſt „eſt" *omiſſum eſt „fore.*"
— 90. — 13. pro litt. „u" in verbo „commend." ponenda „*n.*"

— 93. lin. 17. po
poſt „Iulinum“
— 94. lin. 13. pro
— — — 20. pro
— 102. — 5. pro
— 107. — 11. pro
— 110. — 2. pr.
— 112. notae 125,
loco poſitum e
(calami, ut vid
Anonym. Caniſ
— 113. lin. 7. pr. „
— 114. notae 137.
S. Adalberti ep
antiqq. Tom. I
— 118. lin. 8. (in n
Fortaſſe ſub „B
quam „*v a l d e*
c e n d i t“ *ap.*
D a m u m oppic
quae de illius
Cramerus libb.
relatis ſimillima
aufugientes inc
Othonem a pra
dem optime ſcri
geſtis ſilentium
— 119. lin. 1. pro
— 120. — 4. pr.
— — — 15. pr.
— 125. — 20. pro
— 127. lin. 21. po
— — — 27. A
illam vocem *un*
— 128. lin. 7. pro
— 133. — 12. pro
— 134. — 3. pr.
not. 181. li
— 138. lin. 22. pr.
— 134. — 9. pr.
— 146. — 12. pr.
— 155. lin. ult. pr.
— 161. — 1. *dele*

Scribeb. Ienae,

. 17. post „qua" *omissa est* vox „*flumen*" et
ulinum" „*tendens*" *ponendum.*
. 13. pro „posita" *ponendum* „*sita.*"
20. pro „adpulisset" p. „*adiisset.*"
5. pro „indies" p. *in dies.*
11. pro „diis" p. *Diis.*
2. pr. sustentacula p. *sustent.*
otae 125, apponendum: *Quod nomen posteriori*
ositum et R u t e n i, R i t h e n i et R i t h e r i
i, ut videtur, errore) *scriptum invenitur ap.*
m. Canis. p. 55 sq.
. 7. pr. „Gryphenbergam" p. *Gryphisbergam.*
otae 137. apponendum: *et* „*Vita vel passio*
lberti episc. et martyr. Chr." *in Canis. lectt.*
Tom. III. part. 1. *pag.* 41.
. 8. (in not. 146.) post „mentio occurrat," adi.:
se sub „*B a r d a illa civitate munita et forte,*"
„*v a l d e f r e g i t d u x P o l o n u s e t s u c-*
t" *ap. Anonym. Canis. II,* 3. *pag.* 56. *extr.*
u m oppidum latet. *Cui certe non oppugnant,*
de illius urbis dirutione et Kantzovius atque
rus libb. prioribb. narrant, his ab Anonymo
simillima. Tum ipsum urbis incendium, quum
entes incolae nil praeter ruinas reliquissent,
em a praedicando ibi prohibuerit. Unde qui-
ptime scriptorum de eius apud Damenses rebus
silentium interpretandum erit.
. 1. pro „usus" ponendum *usum.*
4. pr. „totus" p. *plane.*
15. pr. dominica p. *Dominic.*
20. pro „intercessionem" p. *interpellationem.*
n. 21. post „ut" *delendum est comma.*
27. Ante „Pani" *delendum est* „*In*" et post
ocem *uncis inclusum apponendum* (Peene).
. 7. pro „Lutitiorum" ponendum *Luticiorum.*
12. pro „nisi" p. *nisi.*
3. pr. „omni" p. *omnium.*
. 181. lin. 5. pr. siquid p. *si quid.*
. 22. pr. „Pasewalcum" p. *Pasevalcum.*
9. pr. „sctae" p. *Sctae.*
12. pr. „Sti." p. „*Stt.*" (*Sanctorum.*)
. ult. pr. „coufirm." „ponendum" *confirm.*
1. *delendum est* „*mortuus.*"

Ienae, nonis Mart. a. S. CIƆIƆCCCXXIV.